ALEXANDRI TARTARA

ANIMADVERSIONES

IN LOCOS NONNULLOS

VALERI CATULLI ET TITI LIVI

Iterum emendatiores editae

ROMAE
EX OFFICINA « DELL' OPINIONE »
MDCCCLXXXII.

ALEXANDRI TARTARA

ANIMADVERSIONES

IN LOCOS NONNULLOS

VALERI CATULLI ET TITI LIVI

Iterum emendatiores editae

ROMAE

EX OFFICINA « DELL' OPINIONE »

MDCCCLXXXII.

ALEXANDRI TARTARA



ANIMADVERSIONES

IN LOCOS NONNULLOS

VALERI CATULLI ET TITI LIVI

Iterum emendatiores editae

ROMAE

EX OFFICINA « DELL' OPINIONE »



MDCCCLXXXII.

ERRATA					CORRIGE
Pag.	3 lin.	7 *pro*:	Nos vero suspicati	*legendum*:	Nos vero suspicati, veritique,
»	8 »	6 »	Cattuliano	»	Catuliano
»	9 »	28 »	ardo	»	ardor
»	10 »	31 »	Antologiae	»	Anthologiae
»	17 »	3 »	pudic	»	pudici
»	45 »	10 »	inconcinuumr eddidit	»	inconcinnum reddidit
»	45 »	12 »	quem	»	quam
»	47 »	9 »	Archil. (οἴνῳ	»	Archil. οἴνῳ
»	58 »	12 »	correpuit	»	corripuit
»	58 »	35 »	fuera	»	fuerat
»	72 »	25 »	terra marisque	»	terra marique
»	81 »	1 »	de Pontibus	»	de Fontibus

AD CATULLUM 2, 7-8

CAPUT I.

I. Viri docti permulti, toti quum et fuerint et sint in duobus istis versibus Catulli emendandis atque ad pristinam formam integritatemque redigendis, nescio an medicorum vice sint functi, qui fomenta et medicamina omnis generis adhibeant sanando membro morboso, quod tamen non sit remediis temptandum, sed ferro recidendum. Nos vero, suspicati, qui versiculi prima statim fronte emendandi videntur ne ii sint potius ablegandi et penitus eiiciendi, altius quaerere de re instituimus, ut dissereremus de horum versuum iam non *integritate* sed *sinceritate*. Nec tamen, etsi ita nobis, quam data opera pertractemus, novam hanc quaestionem proposuimus, missas omnino eas quaestiones faciemus quae iam inde a renatis litteris criticos torquere consueverunt, quarum potissimum sunt duae, una de structura carminis, hoc est de numero versuum, altera de sensu totius carminis, acturi de omnibus huc pertinentibus, breviter scilicet, sed acturi tamen.

II. Itaque primum omnium (ut quaestionem illam relinquam ecqui versus post decimum versum perierint: olim enim in codice antiquo Al. Guarinus et Perrius apud Lachmannum spatium deprehenderunt vacuum post versum decimum), quaeritur an cum decem prioribus versibus tres postremi sint coniungendi unumque carmen efficiant. Codices enim hos versus hoc modo scriptos praebent:

« Passer deliciae meae puellae — Quicum ludere, quem in sinu tenere — Quoi primum digitum dare adpetenti — Et acris solet incitare morsus — Cum desiderio meo nitenti — Carum nescioquid libet iocari — Et solaciolum sui doloris — Credo cum gravis acquiescat ardor. — Tecum ludere sicut ipsa possem Et tristis animi levare curas — . . . . — Tam gratumst mihi quam ferunt puellae. — Pernici aureolum fuisse malum — Quod zonam soluit diu ligatam. »

Utinam aliquid de tribus his potremis versibus exploratum haberem! Horum mentionem facit ex veteribus Priscianus (546 P. 1,16 ed. Keil) « Similiter » ait « Catullus Veronensis *quod zonam* « *soluit ligatam* inter hendecasyllabos phalaecios « posuit, ergo nisi soluit trisyllabum accipias, versus « stare non possit. » Sed Prisciani verba nihil ad rem (1). Itaque recentiores, quum vellent tres versiculos in sedem suam reponere, alii aliud senserunt,

---

(1) Ceterum mentionem carminis faciunt apud veteres Atil. Fortunatianus 318 G: « ut apud Catullum hendecasyllabus a spondeo « *Passer-puellae*. Idem auctor 2698 P. 350 G. « Ecce et phalaecium; partem primam de antispasto habet ut *Passer-puellae*. » Censorinus de Metris 2727 P., 27 Iahn., Phalaecius *Passer-puellae*.

quorum neminem probare queo, quum pars nimis timide citra iustos, ut ita dicam, terminos substiterit, pars vero, non contenta eo quod sine erroris periculo affirmare liceret, nimio studio elata, longius, quam tuto fieri poterat, sit progressa. Illi enim, qui longe plurimi sunt, quum reputarent versiculos hos postremos nullum integrum carmen per se efficere, continuo eos tribuerunt eidem carmini cui decem priores, sententiam parum probabilem amplexi, quum nullo prorsus sententiarum nexu hi versus cum illis copulentur. Alii contra, praeterquam quod negant ad carmen de passere tres postremos versus pertinere, porro audent diiudicare quamnam sedem a prima inde origine tenuerint : Spengelius existimavit eos partem esse alius cuiusdam carminis in eundem passerculum exarati. Froehlichius eos coniungit cum carm. 38,8. Rursus si morem geras Pleitnero, Klotzio, Schwabio, eos praepones carmini 14^{b} , vel, si Rossbachium probas, putabis eos fragmentum quoddam esse alius carminis, cuius perierit initium. Quae omnia ipsi nec longius persequi volumus, nec probare possumus, nec tamen refutare necessarium ducimus. Satis sit illud tenere : tres postremos versus seiungendos quidem esse a decem prioribus (si qui sunt, qui profecto sunt, qui enitantur demonstrare comparationem ex fabula de Atalanta deque aureis malis depromtam quam aptissime congruere cum iis quae enuntiantur in decem prioribus versibus, eos nihil moror: nihil enim tam absurdum est quod patrono careat); verum qui eorum pristinam sedem quaerunt, eos quoad nova monumenta veterum litterarum in lucem prodeant, laborem exantlare supervacaneum.

III. His de numero versuum praemissis, gradum

ad versus septimum et octavum facio, quos ita scriptos exhibent codices:

« Et solaciolum sui doloris
Credo cum gravis acquiescat ardor. »

Quidnam, obsecro, sibi volunt haec? Nihil, nisi prius emendentur, quod iam pridem perspectum temptatumque est. Sed ne emendati quidem, mea sententia, cum ceteris congruunt. Age vero recenseamus criticorum commenta.

Missam facio Spengelii sententiam, arbitrati post versum septimum aliquid deesse. Item Heinsii, opinati post octavum versum excidisse versum quemdam, de quo mox sermo erit nobis.

Porro Bapt. Guarin. censuit scribendum esse occtavum versum ita:

« Credo *ut tum* gravis acquiescat audor »

Schraderus ita:

« Credo *uti gravis*, ecc. »

Verburgius ita:

« Credo *dum gravis*, etc. »

Munro, ordine verborum inverso, verbisque ipsis paullo libidinosius immutatis, septimum et octavum ita:

« Credo ut cum gravis acquiescet ardor
Sit solaciolum sui doloris. »

Denique, non minori audacia, Ellisius octavum sic refingit:

« Credo *et cum gravis* acquiescat ardor. »

qui Ellisius addit: « Sensus est: Quum desiderio meo libet nescioquid iocari sive ut dolorem suum soletur, sive quum amoris ardor acquiescit. » Quasi de duobus generibus malorum agatur, ac non potius de uno tantum genere, quod est in amore.

Nunc adverte, quaeso, ad illud animum, omnes criticos in hoc consentire, nempe dipingi Lesbiam, aestuantem amore, solitam ludere cum passerculo ad solatium captandum: et profecto, si quid duo versiculi significant, id procul dubio significant. Sed nego hoc eos significare, quo negato, nihil restat nisi ut interpolationem suspicemur inesse. An censes Lesbiam iocari solitam fuisse cum passere, tunc quum amore incensa huc illuc versaret animum? Ego magnopere vereor, ea erat Lesbia indole, ut illis temporis momentis etiamtum passerculi recordata sit, id quod Catullum non fallebat. Nisi quis cum Mureto assentiatur Politiano, qui Politianus, Martialem fortasse secutus (1), existimavit *passerem* hic sensu obscoeno poni, id quod mihi eam ob causam perperam videtur, quod alienissimum esset a Catulli ingenio rem quantumvis obscoenam non apertissime dicere; et facile id sciunt, si qui eum legerunt.

IV. Praeter perversitatem sententiae, complura alia suspicionem meam alunt. Versus enim octavus minime mihi Catullianus videtur esse: quis enim feret in tam venusto carmine hendecasyllabum huiusmodi:

« Credo ut iam gravis acquiescat ardor »

---

(1) Martial XI,6,14-16.

« Da nunc basia sed Catulliana.
Quae si tot fuerint, quot ille dixit.
Donabo tibi *passerem* Catulli. »

vel ut alii illum versum aliter, id quod modo videbamus, refingunt? Quam rem ut singillatim persequamur duo praesertim in versu considerabimus: rationem versus, et verba. Itaque ut a ratione ordiar versus, mea quidem sententia versum inconcinnum ideoque minime Cattullianum deturpat primum illud loquendi genus quod sic incipit *Credo ut* etc.; sententia enim, continens nec lepidam nec necessariam interprètationem lusus venustissime sex prioribus versibus descripti, redolet non florentem poetam Musis ipsis, paene dixerim, uberrima illa Ciceroniana aetate enutritum, sed potius hominem grammaticum Medii quod vocant Aevi; qui fortasse homo, artem versuum faciendorum quum magis calleret quam naturam hominum pernosceret, arbitratus se causam lusus, quam poeta sano iudicio praeditus omiserat, addere posse, adscripsit, ut puto, versum suum hunc in margine, quem versum posteriores Catulli ipsius esse existimaverut. Quod si qui nunc sunt, qui profecto sunt (sic agit *Ellisius* in commentario suo Catulliano), qui in medium vocent Catullum 84,5:

« Chommoda dicebat, si quando commoda vellet — Dicere, et hinsidias Arrius hinsidias, — Et tum mirifice sperabat se esse locutum, — Cum quantum poterat dixerat hinsidias. — *Credo*, sic mater, sic Liber avonculus eius, — Sic maternus avos dixerat atque avia, etc. »

eo nimirum consilio ut *credo* quod est 2,8, quodammodo fulciant, ii paulo inconsultius agunt, cum *credo* hic aliam prorsus vim habeat. — Deinde, id enim sequitur, reputa, quaeso, verba huiusmodi quae sunt *acquiescere* et *ardor*. Semel tantum in reliquis Catulli carminibus occurrit *acquiescere* (31,10) et diversa prorsus significatione: il quod moneo non tam

ut contendam hinc sequi versum esse spurium, quam ut redarguam eos, qui, collatis (id facit Ellisius) apud Celsium (2,8) *febris quievit* atque apud Plinium (Epist. 4,21,92) *magno tamen fomento dolor meus adquiescet,* videntur, etsi id sibi propositum non habuerunt, versum Catullo vindicare. Eae enim auctoritates non probant genuinum versum esse, sed tantummodo posse esse. — *Ardor* vero prodit fortasse interpolatorem: semel hoc quoque tantummodo occurrit in reliquis Catullianis omnibus, et diversa omnino vi (62,29). Mirum esset, si in uno eodemque versiculo duo verba inessent alibi nusquam a poeta usurpata. Sed est aliud et multo maius. Quantum enim mihi curiose quaerenti compertum est, *ardor* significabat, aetate illa Ciceroniana, *ardorem* generatim, non *amorem:* verbum itaque non usurpabant absolute, immo addebant semper quodnam esset genus ardoris, idque faciebant indifferenter et cum vocem propria significatione usurpabant (hoc modo: *ardor solis* quod habes apud *Lucretium* 2,210; *ardor flammarum* quod habes apud eundem *Lucretium* 5,1091, *ardores febrium* quod habes apud *Plinium Nat. Hist.* 20,8,3) et cum metaphorice voce utebantur (hoc modo *ardor animi* apud *Ciceronem Brut.* 24; *ardor mentis* apud *Ciceronem pro Coelio* 31; *ardor cupiditatum* apud *Ciceronem de finibus* etc. 1,13,43; *ardor amantum* apud *Lucretium* 4,1069; *ardo civium* apud *Horatium Carm.* 3,3,2; *ardor belli* apud *Livium* 34,1).

Quod si aliquando voce *ardore* utebantur absolute, id est non adiecto genere ardoris, id faciebant, aetate quidem Ciceroniana de qua loquimur, non promiscue, sed tantummodo ubi vocabulum usurparetur significatione propria ut *Cicero* scribit (*Acad. prior.* 2,37,119)

« erit ei persuasum...... fore tamen aliquando, ut « omnis hic mundus *ardore* deflagret. » Occurrit quidem *ardor*, non expresso genere ardoris, apud Lucretium 4,1078:

« Namque in eo spes est unde est *ardoris* origo. »

sed cave credas vocabulum absolute usurpatum esse pro *amore*; specie est absolute usurpatum, non re, quum in longa oratione quae exstat ibi de amore (in ista oratione est quod nuper citavi *ardor amantum*) genetivus *amoris* post vocem *ardor* propter ea quae vel praecedunt vel sequuntur sit subaudiendus. Lucretius igitur non est dicendus usurpasse *ardorem* pro *amore* sed usurpasse *ardorem amoris* pro vi seu *impetu amoris*. In alio quoque loco apud eundem Lucretium 3,251:

« Sive voluptas est, sive est contrarius *ardor*. »

specie tantummodo *ardor* absolute usurpatum occurrit, quum revera suam vim ex verbis reliquis eiusdem versus mutuetur.

V. Immorabor autem aliquantisper in voce *ardor*, quo melius probem quod hactenus dixi, simul quid causae fuerit explicem, cur interpolator, si quis nimirum vere extitit, eam usurpaverit neque tamen adhuc in ea haeserint critici.

Itaque nemo ignorat Romanos dixisse *ardor* pro *amor*, hoc est pro *ardor amoris*, brevitatem scilicet aucupantes: sed hoc forsitan post aetatem Ciceronis huc importatum est ex Graecia, νεωτέρων quos vocant consuetudine. Apud veteres Graecos neque καῦμα neque πῦρ videntur *am'rem* absolute valuisse; postea vero valuerunt: teste epigrammate 12,87. Antologiae

Graecae Palatinae (Vol. II, pag. 407 edidit Dübner) cuius priores duos versus adscribo:

Τλῆμον Ἔρως, οὐ θῆλυν ἐμοὶ πόθον ἀλλά τιν' αἰεί
Δινεύεις στεροπὴν καύματος ἀρσενικοῦ

Ita quoque apud Callimachum Epigramm. 25 (edid. Meineke pag. 97) quod epigramma, cum sit unum e pulcherrimis, totum adscribere volui:

Ὤμοσε Καλλίγνωτος Ἰωνίδι, μήποτε κείνης
ἕξειν μήτε φίλον κρείσσονα μήτε φίλην.
ὤμοσεν. ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα τοὺς ἐν ἔρωτι
ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ' ἐς ἀθανάτων.
νῦν δ' ὁ μὲν ἀρσενικῷ θέρεται πυρί, τῆς δὲ ταλαίνης
νύμφης ὡς Μεγαρέων οὐ λόγος οὔτ' ἀριθμός.

Ex Romanis igitur qui Alexandrinis maxime studuerunt, nonnulli usurparunt pro *amore*, *ardorem* vel *ignes*. Etiam *calorem* habes semel apud Horatium Carm. 4,9,12. Sed Catullus, quamquam et ipse Alexandrinos magnopere adamavit, attamen semper usus est voce *amore*, nunquam voce *ardore*. *Amorem* habes apud Catullum saepissime praesertim 6,16. 7,8. 15,1. 35,12. 45,1. 55,19. 61,201. 64,120; 182;330;335;372. 66,88. 67,25. 68,69,73,83;107. 71,3. 78,3. 87,3. 76,6;13. 91,2,6. 96,6. 99,15. 100,8. 109,1. Quis igitur credat, quum Catullus constantissime usus sit *amore*, nunquam vero aut *igne* aut, excepto loco de quo loquimur, *ardore*, quis credat, Catulli esse illud *ardor* quod occurrit in versiculo minime pulchro id est minime Catulliano, atque insuper sententiam minime probabilem habente?

Sano iudicio usus, cum ceterum putaret poesin Romanorum, rivulis eruditionis ex Graecia in Latium derivatis, ditandam esse, indolem tamen pristinam

Romani sermonis quam maxime retinuit Catullus: namque, ut nonnulla eaque pauca moneam, et occurrunt apud Catullum vestigia ubique antiquioris Romani sermonis (ea deprehendas licet ubique *deis* 4,22; *gnatus* constanter, non *natus*, nisi ubi lex metri obstat; omissa aspiratione, qua parcissime usi sunt veteres, Catullus scribit *erus* atque *era* (63,18; 92). — Ortale (65,15) — eluari (29,16). In dativo quartae declinationis desinunt verba apud Catullum in *u* non in *ui*. Praesertim vero ea deprehendes in carminibus longioribus 61. 63. 64. 66. 68; namque in carmine 61 habes inter cetera infinitiva desinentia in *ier citarier* v. 42 *compararier* v. 65. 70. 75, habes *penite* v. 174, *remorari* v. 196. 197, *ingenerari* v. 211, *noscitari* v. 219, *ludei* v. 206, *inscieis* v. 218, *bonei* v. 228. Carmen 63 de Atti totum vetustatem sacram sermonis spirat.

Tum e contrario desunt apud eum manifestissima vestigia Graecorum, quae habes in ceteris poetis Romanis Alexandrinos imitatis, cuiusmodi sunt, ut unum e compluribus afferam, *opus est* cum genetivo in Priapeis 68,34:

« Sive illi laterum sive erat artis opus » (1)

atque apud Propertium 3,10,12 ubi, maiora aggressurus, post Pierides invocatas, poeta ait:

« . . . . magni nunc erit oris opus. » (2)

Sequentes non eodem, quo Catullus, usi sunt eleganti castoque sensu et iudicio. Etenim Augusti

(1) Locum praeterit *Draegerus Syntax der lat. Sprach.* 1,529.
(2) Locum praeterit *Draegeros op. loc. cit.*

aetate, quam vocant, *ardor* et *ignis* vel *ignes* pro *amore* promiscue usurpata sunt. *Ignis*, ut unum ex multis afferam, habes apud Virg. ecl. 3,66 atque apud Propertium 2,33,43. *Ardorem* in quodam Sulpiciae carmine Tibull. 4,12,6 :

« *Ardorem* cupiens dissimulare meum. »

Ovid. Met. 7,76:

« Et iam fortis erat, pulsusque resederat *ardor*. »

Ovid. Met. 14,683:

«. . . . . tu primus et ultimus illi
Ardor eris . . . . »

et saepissime apud Propert. 1,7,24. 1,10,10. 1,13,28. 1,20,6. 3,5,31 etc.

Sed rursus, nec omnes vestigia veterum deseruerunt : quum enim curiose de hac re inquisissem intellexi et Tibullum eadem sanitate latini sermonis, qua Catullus, in hoc saltem, scripsisse, et Lygdamum, quem vocant, non minore, qui Lygdamus sese ad Tibullum totum conformavit. Itaque amorem habes Tib. 1,2,4,; 59; 75; 89 1,3, 81. 1,4,10; 24; 40; 67; 81. 1,5.7,; 60; 75. 1,6,35; 76; 85. 1,7,44. 1,8,41; 52. 1,9,1 ; 19; 39; 83. 2,2, 11. 2,3,14; 28; 32. 2,4,47; 57. 3,4,73. 3,6,4. 4,3,21 4,5,7; 11. 4,6,20. 4,7,1. Nusquam vero *ardor*.

E contrario Horatius, magis quam cum Tibullo et Lygdamo, videtur esse conferendus cum Virgilio, Ovidio et Propertio. Nam dixeris sane eum in Carm. 4,9,12 *calores* usurpasse, ne in duobus continuis versibus eadem vox *amor* iterata lectorem offenderet, sed semel (Epod. 2,27) sine necessitate *ardorem* pro *amore* usurpavit, quamquam genetivus qui sequitur novitatem verbi temperat.

VI. De octavo versu Catulli hactenus. Nunc de septimo. Qui versus, non adeo pulcher, non tamen abhorret ab arte et ingenio Catulliano; praeterea congruit sententia. Namque, ut de sensu totius poematis pauca moneam, nec assentior illis qui, ut supra innuebam, sub nomine *passeris* aliud quid subesse volunt; nec illis qui cum Corradino De Allio existimant Catullum alloqui passerem *aegrotantem* Lesbiae; nec illis qui cum Heinsio arbitrantur poetam passerem dono a puella accepisse; neque illis qui cum Doeringio opinantur poetam decantare passerem Lesbiae ad eius aures permulcendas gratiamque captandam. Illos qui primi nominati sunt supra redargui. Opinionem eorum, quos secundo loco nominavi, somnium merum puto, propterea quod nihil ibi ad passerem nescioquem aegrotantem pertinet; Catullus vero, si res ita sese haberet, malam valetudinem passeris miseratus esset, quemadmodum postea in carmine tertio, a primo inde versu ad postremum, eiusdem mortem est lamentatus. Hariolatur autem Heinsius; aperte enim et per totum carmen poeta gratias, ut par erat, egisset amicae, non in uno tantum versu qui post octavum forte exciderit. Quod denique Doeringius affirmat, nec refelli nec probari posse mihi videtur.

Ego vero de sensu carminis sic sentio. Carmen mihi videtur fuisse conscriptum eo tempore quo *face* quidem *mutua*, si licet Horatianis uti, iam Catullus atque Clodia torrebantur, quum tamen poetae amanti non nisi oblata forte occasione, sive amico quopiam morem illi gerente sive alio quovis modo locoque, convenire puellam liceret; in quo *subrepticio*, quem Planesium Plautina vocat, amore, nimis saepe poetae puellam congredi cupienti congressu exoptato carere

necesse esset. Tunc enimvero poeta vere amans misere exanimatus maestitia ingenti afficiebatur obruebaturque, quumque omnia quae apud Lesbiam essent, penitus infixa animo, ei quasi ob oculos obversarentur, passerculus praesertim quem ipsa in deliciis habebat, hunc olim passerculum quamvis absentem allocutus est versibus dulcissima refertis amaritie, suspirans: « utinam ego possim ludere tecum quem ad modum mea Lesbia facit! »: scite arguteque dictum, quum haec verba eodem recidant quo ista: « utinam ego possim Lesbiam domi convenire! » Namque *levare tristes curas animi* num censes fore ut Catullus posset si cum passere luderet, ac non potius si una cum Lesbia esset? Nae vehementer errares. Verbis exoptabat poeta videre passerem, re autem Lesbiam. Praeclare igitur et poetice.

Quod si sensum carminis recte enucleavi, iure octavum versum supra exagitavi. Siquidem poeta solamen amoris in sermonibus iocoque cum Lesbia sibi fingebat; itaque oppido absone Lesbia diceretur solacia in luso cum passere sibi parare; quod quanam ratione fieri potuit, si Catullum et ipsa invicem amabat? Praeterea, sensu illo, quem dixi, probato, bene respondebit versus septimus ad versus postremos carminis istos:

« Tecum ludere sicut ipsa possem
Et tristes animi levare curas! »

Tunc enim poeta dicat: utinam possem ego deponere tristes curas animi, quem ad modum Lesbia se solatur.

Haec inter se in eodem carmine respondentia propria sunt cum horum leviorum breviorumque carminum, tum maxime Catullianorum, quod in cap. sequenti dedita opera persequemur.

Ut ad versum septimum redeam, reponendum in eo erit, repudiato quod nunc vulgo editur: « *Ut* solaciolum » etc. vel *Et* quod codices praebent, vel *In* quod olim Itali singulari in hisce studiis, quae nunc apud nos admodum iacent, acumine praediti, coniecerunt. *Dolor* autem non erit dolor ex amore quod vulgo creditur (etiam M. Hauptius *Bericht der Säch. Gesell. der Wiss.*, etiam *Opuscul.* 1,215), sed generatim cura seu aegritudo animi, si nimirum iure contendi fore ut absurdum videretur, si poeta sibi finxisset Lesbiam satis solatii in lusu cum passere captantem.

Ad summam, versus octavus mihi quidem iamdiu videtur expungendus: inconcinnus enim est, sententiamque efficit pravam. Septimus sane Catullum videtur satis redolere sententiamque aptam efficere, quem ergo non recuso quominus tueare et mordicus teneas; et tamen infitias non iveris, utroque versu ablegato, fore ut carmen, expeditius factum, paulo facilius currat, qua in re omnium maxime profecto elucet Catullus.

AD CATULLUM 6, 12-14

CAPUT II.

I. En parum pudicos hendecasyllabos, pudic tamen poetae et pii (cf. Catull. 16).

« Flavi, delicias tuas Catullo — Nei sint inlepidae atque inelegantes — Velles dicere nec tacere posses. — Verum nescioquid febriculosi — Scorti diligis: hoc pudet fateri. — Nam te non viduas iacere noctes — Nequiquam tacitum cubile clamat — Sertis ac Syrio fragrans olivo, — Pulvinusque peraeque et hic et ille — Attritus, tremulique quassa lecti — Argutatio inambulatioque — *Nam in ista praevalet nihil tacere. — Cur non tam latera et futura panda — Nec tu quid facias ineptiarum.* — Quare quidquid habes boni malique — Dic nobis. Volo te ac tuos amores — Ad caelum lepido vocare versu. »

Ex duobus optimis codicibus Datanus exhibet in versu duodecimo *in ista,* Laurentii Santenii paulo aliter *ni ista.* In versu decimo tertio sunt etiam codices qui habeant *exfututa pandant.*

Suntne isti tres versus corrupti? immo corrup-

tissimi. Prior enim ne versus quidem est. Sive enim legas :

« Nam in ista praevalet, nihil tacere. »

sive legas :

« Nam in ista praevalet, nihil tacere. »

nullum iustum efficies hendecasyllabum, cuius hoc erat schema –́ ⏑ –́ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑, post basin namque habebis, pro dactylo et sequenti trochaeo, amphibrachum et trochaeum *ta praevalet ni*. Versum 12 corrupit igitur quidam, qui in describendis Catulli carminibus hoc unum tenuit ut undecim syllabae efficerentur, et, dum iustus numerus syllabarum in promptu esset, ea posthabuit quae ratio metri requirebat.

Ego novam coniecturam, affero ad v. 12. et 13. In 14 Lachmanni sequor coniecturam, quam vocant, vel potius Doeringii coniecturam, quam rectius appellaremus, ut mox ostendam. Sed inspiciamus nunc criticorum commenta.

II. Vix intelligo quid sibi voluerit Scaliger cum, exeunte ferme saeculo XVI post Christum natum, versus sic ederet:

« Nam, ni stupra, valet nihil tacere.
Cur? non tam latera exfututa pandant
Nec tu quid facias ineptiarum. »

Circa idem tempus Dousa filius, ordine verborum duorum inverso, sic scripsit :

« Nam nil praevalet ista, nil tacere. »

Guarinus, ordine verborum eorundem item inverso, non multo secus sic:

« Nam ni praevalet ista nil taceres. »

Metri autem causa puto Dousam filium et Guarinum invertisse in v. 12 ordinem verborum scribentes non *ista praevalet* sed *praevalet ista.* Quum enim constaret Phalaeceus hendecasyllabus ex basi vel spondaica vel trochaica vel etiam iambica, atque ordine logaoedico uno complectente dactylum et tres trochaeos, Guarinus, qui *ni* legeret, effecisset, post basin *Nam ni*, nisi ordinem verborum mutasset, non dactylum et trochaeum sed aut amphimacrum et iambum (admisso nimirum hiatu *ista praevalet*), aut (vitatu hiatu *ta praevalet ni*) amphibrachum et trochaeum. Dousa vero, qui *nil* legeret, effecisset, nisi verborum ordinem immutasset, amphimacrum et iambum (*ista praevalet*). Ceterum verba ipsa Dousa et Guarinus veriti sunt mutare.

Saeculo deinde ferme post Scaligerum, I. Vossius, cui Graevius et Vulpius assensi sunt, edidit:

« Nam ni istapte, valet nihil tacere.
Cui non iam latera exfututa pandant
Noctu quid facias ineptiarum. »

Hic commode videtur pro *praevalet* restitutum esse *pte valet*, una nimirum verborum ratione habita; sed de sententia primum omnium quaeritur, quam vel nullam vel vix probabilem ex istis verbis erues.

Porro Heinsius in notis ad Catullum coniecit:

« Quum nil praevalet ista mi tacere
Cur nunc iam latera exfututa pandas. »

Ubi rursus verborum ordo perperam inversus est, quod hominis est detorquentis verba ad suam ipsius magis quam ad auctoris sententiam.

Bondanus, adhibitis Mss. a Ruhnkenio acceptis, in quibus extabat *Nam ni te pudeat nihil taceres,* totum locum per vim sic refinxit :

« Nam ni te pudeat nihil taceres
Cum nunc tam latera effututa pandant
Noctu quid facias ineptiarum. »

Apage a nobis tantam libidinem ! nam versus prior iam multo rectius Ruhnkenii eiusque socii, quam Catulli dicendus esset.

Sub finem saec. XVII Doeringius et ipse in v. 12 verborum ordinem invertit, sed in vv. insequentibus viam Lachmanno munivit, id quod hodie fere ignorant ; edidit enim :

« Nam mi praevalet ista nihil tacere.
Cur nunc tam latera exfututa pandas
Ni tu quid facias ineptiarum ? »

III. Nunc venio ad emendationes Lachmanni atque Hauptii, hoc est ad lectionem quae omnium fere suffragiis commendata nunc dominatur. Versum igitur 12 hodie scribunt editores fere omnes, Hauptii nomine exornatum, ita :

« Nam nil stupra valet, nihil tacere.

Versus decimum tertium et decimum quartum auctoritate Lachmanni scribunt :

« Cur ? non tam latera ecfututa pandas
Nei tu quid facias ineptiarum. »

Perpaucos illos editores, qui istam lectionem non receperint, pretium operae non est referre, ob id ipsum

quod perpauci sunt. Duos tantummodo memorabo. Ellisius in priore editione dederat:

« Nam nil *stare* valet, etc. »

sed in altera editione (Londini 1878) reversus est ad emendationem Hauptii, ut ille dicit. Heysius autem, qui Catullum Germanice reddidit, praetulit:

« Nam ni ista ore valet, nihil tacere
Curant iam latera exfututa panda. «

Sed neque emendationes illae aequo iure solis Hauptio et Lachmanno tribuuntur (quod moneo ne quis suis fraudetur meritis, non ut praestantissimis viris laudem detraham), neque omni sunt laude cumulandae. Namque ut ab illo initium faciam, Hauptio, cum ad v. 12 emendandum se contulit, obversata est Scalig. lectio, in qua *stupra* et *valet* iam praesto erant, idem sumpsit ex Dousa filio Heinsioque *nil*, et paulo aliter interpungens, in aliam significationem verba detorsit. Quod si versus ita reconcinnati vim porro perpendimus, legentes:

« Nam nil stupra valet, nihil tacere
Cur? non tam latera ecfututa pandas
Nei tu quid facias ineptiarum. »

primum omnium parum apte v. 12 ab antecedentibus seiungimus: secundo, *stupra* minime probare possumus, quum neque *praevalet* quod codices habent syllabam *pra* arguat (nam *praevalet* supposuit fortasse simplici *valet* qui in lectione « Nam *ni ista* valet nihil tacere » hiatum vitari voluit), neque in Catulli car-

minibus, quamquam poeta in amoribus describendis tantus est, *stupra* usquam occurrat: tertio denique, quum sensus nascatur huiusmodi: « desine tacere, o Flavi, nihil enim *prodest* silentium, macie et pallore ineptias nocturnas prodentibus » *nihil valet* habemus pro *nihil prodest*, *nullam utilitatem habet*, *non giova*, *non vale*, *a nulla serve* quod a germana Latinitate recedit. (1)

Quodsi Hauptius ad ea quae praecedunt versum ita retulit ut versus significaret *nam res nulla valet occultare stupra*, nego hoc loco *tacere* transitive eum bene usurpasse; etenim quotiescumque de *hominibus* silentibus ageretur verbum sane non minus transitive quam intransitive usurpari solitum nemo ignorat (Horat. Sat. 1.4,84 commissa *tacere*, id est *silentio praeterire)*, sed ubi primum verbum ad *res* transferebatur, transitive accipi desinebat, et rectissime quidem desinebat, quum consulto aliquid silentio praeterire solius sit hominis.

Quae quum ita sint, abhorrere videtur a sana Latinitate locutio quam Catullo Hauptius obtrusit, quum e contrario vacuus culpa ista sit Scaliger, qui aliter atque Hauptius interpungens vim suam verbo *valere* servaverat.

Nunc venio ad Lachmanni coniecturam in vv. 13-14 supra allatam. Quid autem ipsi Lachmanno, quid Scaligero et Doeringio, qui pro virili parte multo ante Lachmannum operam Catullo emen-

---

(1) *Valere* usurpatum fuit pro « bene se habere, » pro « vires habere ad aliquid perficiendum, » pro « vim habere ad certum effectum obtinendum » (de medicaminibus nimirum), pro « significationem habere, » denique, si de nummis esset sermo, pro eo quod italice est *valere*.

dando impenderant, debeatur, perspicies ipse. Scaliger scripsit :

« Cur? non tam latera exfututa pandant
Nec tu quid facias ineptiarum. »

Doeringius :

« Cur nunc tam latera exfututa pandas
Ni tu quid facias ineptiarum. »

Lachmannus, omnia paene ab iis mutuatus, duobus tantummodo iisdemque levibus atque ad rem orthographicam pertinentibus (ecfututa, nei) immutatis :

« Cur? non tam latera ecfututa pandas
Nei tu quid facias ineptiarum. »

IV. Nunc ad me. Sensus est carminis: Flavi, tu habes puellam ; tu potes quidem tacere, sed tuum silentium irritum est, quum cetera omnia clament te non iacere viduas noctes. Cetera, hoc est tria: *cubile, pulvinus,* et *lectus*. Hactenus omnia sunt plana. Porro autem v. 12, in quo haerent, mihi videtur ad tres istos quasi indices facti pertinere, et sententiam superiorem apertius declarare; *ista* referri debere ad tria illa, quasi dicatur : haec enim facultatem silendi, quam tu habes, non habent. Scriberem ergo v. 12 ita : *Nam nil ista valent, nihil tacere.* (1)

In vv. 13, 14 poeta mihi videtur addere quartum indicium, quod cum tribus superioribus indiciis

---

(1) *Tacere* de rebus saepe usurpabatur : *tacuere domus Luc. Phar.* 2,22. *Tacentes loci Tacit Hist.* 3,84, etc. Item *taciturnus*: amnis (Horat Carm. 1,31,8) liber (Hor. Epist: 1,20,12) ripa (Hor. Carm. 3,29,14) etc.

res gestas Flavii hominibus catis patefaceret. Indicium autem hoc quartum erat: habitus corporis, tenuis facti. Quod si ita est, scribendum erit non *cur*, sed *tum*, (hoc est *deinde, denique*):

« Tum non tam latera ecfututa pandas,
Nei tu quid facias ineptiarum.

Mea versus 13 emendatio hoc quoque confirmatur quod Catullus non solitus est in rebus iisdem repetendis declarandisque morari; lectio autem *cur* hoc vitio laborat, mea *Tum* non. Mea v. 12 emendatio duobus, praeter ea quae modo disserebam, insuper confirmatur. Primum, quod ad Catullianum dicendi genus proxime accedit: Catullus enim adamavit in primis verba et sententias sibi in eodem carmine respondentes; nonnunquam repetivit in uno eodemque carmine versus integros vel paene integros. Versus ita repetitos ego collegi, sed, cum multi huiusmodi loci sint, satis erit eos citasse: itaque habes apud Catullum versus repetitos 8,3-8. 8,11-19. 16,1-14. 16,4-8. 23,5-8-10. 29,5-9. 36,1-20, praeter ea quae sunt in carmine 68 quaeque hic de industria omitto. Verba repetita, hoc est eam loquendi rationem, ad quam animum te advertere maxime velim, habet saepissime Catullus (4,27. 5,4-5. Soles *occidere* et redire possunt. Nobis cum semel *occidit* brevis lux etc. 9,10-11. 22,14. 23,7-8 30,11. 39,16. 31,12-13. 32,4-9. 49,4-5. 61,19-20; 26 45;102 seqq. 82: Quinti, si tibi vis *oculos* debere Catullum, — Aut aliud siquid carius est *oculis*, — Eripere ei noli, multo quod carius illi — Est *oculis* seu quid carius est *oculis*. 107,1-5: Siquoi quid *cupido* optantique obtigit unquam — *Insperanti*, hoc est *gratum* animo proprie. — Quare hoc est *gratum* nobisque est carius auro, — Quod te restituis, Lesbia,

mi *cupido*, — Restituis *cupido* atque *insperanti* ipsa refers te. It. 112 (1). Paucos tantummodo locos attuli brevitatis causa, sed confer omnes quos citavi, ac tum denique intelliges bene se habere in carmine nostro quae ego conieci:

« Flavi, delicias tuas Catullo — Nei sint inlepidae atque inelegantes, — Velles dicere *nec tacere posses.* — Verum nescioquid febriculosi — Scorti diligis: hoc pudet fateri. Nam te non viduas iacere noctes — *Nequiquam tacitum* cubile clamat — Se us ac Syrio fragrans olivo — Pulvinusque peraeque et hic et ille — Attritus, tremulique quassa lecti — Argutatio inambulatioque — Nam nil *ista valent, nihil tacere.* »

Hoc est: tu potes quidem tacere, ista vero, frustra tacita, tacere non valent. Deinde confirmatur meum *nil ista valent* eo quod, diu postquam locum Catulli emendaveram, forte in Tibullum 2,4,19-20 incidi, ubi poeta, vehementissime questus in carminibus parum auxilii esse ad captandas voluptates amoris, exclamat:

« Ad dominam faciles aditus per carmina quaero:
Ite procul. Musae, *si nihil ista valent* ».

Aut Tibullus, sive prudens sive imprudens, verba Catulli repetivit; quod si ita est mea non iam coniectura sed vera est lectio; aut Tibullus suus est, quod si ita est fateberis, vir elegantior, me non indigna elegantissimo omnium Romanorum poetarum excogitasse.

---

(1) Separatim addo, quia mihi videntur continere exempla *conduplicationis* quam vocat auctor Rhet. ad Herenn. (4,28), hos locos Catull. 9,3-6. 13,1 seqq. 25,6 seqq. 39,1 seqq. 51,b. 52.56,1 seqq. 58,1 seqq.

AD CATULLUM 29, 20

CAPUT III.

I. Huius versus fata specimen exhibent luculentissimum facinorum a criticis, in pensandis emendandisque veterum scriptis, admissorum. Sed, ea antequam inspicimus recensemusque, moneo nuper fuisse qui perperam contenderet hoc carmen revera duo esse carmina, a librariis olim in unum falso coniuncta ; prius autem carmen constare ex decem versibus, alterum ex reliquis. (Otto Iahn, Hermes 2,240 seqq.). Cuius tamen rei satis sit in praesentia mentionem obiter iniecisse, ne quis forte ita autumet, ignorasse me aut neglexisse, si haec, quamvis a proposito mihi nunc labore aliena, silentio praeterissem.

Nunc ipsum carmen usque ad vicesimum versum adscribo :

Quis hoc potest videre, quis potest pati — Nisi impudicus et vorax et aleo, — Mamurram habere quod Comata Gallia — Habebat ante et ultima Britannia? — Cinaede Romule haec videbis et feres? — Et ille nunc superbus et superfluens — Perambulabit omnium cubilia — Ut al-

bulus columbus aut Adoneus? — Cinaede Romule, haec videbis et feres? — Es impudicus et vorax et aleo. — Eone nomine imperator unice — Fuisti in ultima occidentis insula — Ut ista vostra defututa Mentula — Ducenties comesset aut trecenties? — Quid est alid sinistra liberalitas? — Parum expatravit an parum eluatus est? — Paterna prima lancinata sunt bona: — Secunda praeda Pontica: inde tertia — Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus. — *Hunc Galliae timent et Britanniae.* »

Vides versum qualem eum exhibet optimus Datanus. In Laurenti Santeni, aeque bono codice, exstat *timet.* Versus est manifesto corruptus, caret enim syllaba.

II. Versum pro spurio habent Scaliger, Corradinus De Allio, Barthius, Wagnerus, si bene memini; fortasse et alii qui in praesentia mihi non succurrunt. Falso tamen eum pro spurio damnant, ut probabo ubi primum de tempore dixero, quo carmen exaratum fuerit. Mortua Julia, quam Julius Caesar pater Pompeio desponderat, inimici facti sunt socer et gener, mox hostes futuri; mortua ea autem est anno u. c. DCC; quocirca carmen ante hunc annum scripsit Catullus, qui in versibus 23 et 24 eos tamquam inter se amicitia etiamtum coniunctos compellat. In Britanniam autem quum primum descendisset Caesar anno DCLXXXXIX, carmen, scriptum postquam in insulam illam Caesar transgressus fuerat, (Mamurra enim, in quem est praesertim totum carmen, iam in divitias insulae grassatus erat aut grassaturus videbatur esse) pertinet ad tempus quod inter finem anni DCLXXXXIX et principium anni insequentis effluxit. Quae omnia iam pridem constant ferme inter omnes.

Nunc redeo ad illos quos modo reiecti iniuria versus arguimus. Meam enim sententiam ut quam brevis-

sime definiam, confirmemque, quum Mamurra (vers. 3 seq.) dictus sit habere quod antea *Gallia Comata* et *Britannia* habebat, fieri non potuit ut deinde (vers. 17 seqq.) in enumeratione praedarum, quas Catullus appellat, omitteretur praeda *Gallica* et *Britannica*. Contemplaris enim quasi in tabula vel in linteo Mamurram omnia devorantem; quid tum si in pictura partem praedarum devorandarum oculi desiderent? Quapropter, stabilis mea sententia fore confido ut tibi videatur.

III. Carmen est in Mamurram. De Mamurra Formiis nato et praefecto fabrum Caesaris in Gallia cf. *Plinium hist. Nat.* 36,48 ipsumque *Catullum* 57. In descriptione itineris Brundisium suscepti, Horatius *Formias* indicat, omisso tamen nomine urbis: quum nimirum Horatius, Maecenas, Cocceius, ceteri reliquissent

« Impositum saxis late candentibus Anxur »

sustinuerunt Formiis, quem locum (eo erant Mamurrae ibi habitantes nomine et dignitate) significat poeta scribens :

« In *Mamurrarum* lassi deinde *urbe* manemus
Murena praebente domum, Capitone culinam. »

De Mamurra disseruit copiose nuper J. Munro (In *Cambridge Journul of philolog.* 2,12 seqq.). Sed nos ad reliqua porro peragenda impellimur.

Incipit carmen ex abrupto, Catullo indignante hominem illum post rem paternam obligurritam regionarumque exterarum complurium divitias absumptas, imminere Comatae Galliae et Britanniae, quarum scilicet expilandarum Caesar, qui eas subegerat, ei arbitrium

daturus foret. Eum v. 3 suo nomine, v. 13 sub nomine *Mentulae* poeta vituperat; ergo fictum nomen adhibuit non metu sed quo acrius, adhibito rei obscoenae nomine, invisum sibi Formianum hominem notaret. Ergo falluntur qui ita existimant (Teuffel, *Gesch. der Röm, Litt.* 1875, p. 424) *Mentulam* tunc demum vocatum fuisse Mamurram a Catullo, postquam Catullus (*Suet. Caes.* 73) cum Caesare in gratiam redierat; videmus enim in uno eodemque carmine in Caesarem simul et in *Mentulam* poetam invectum.

IV. Trimetro ita poetae vindicato, restat ut eum emendemus.

Multi (Faernus, Vulp., Doer., Sill., Rossb.) censuerunt scribendum,

« Hunc Galliae timetis et Britanniae. »

Alii (Froelich., Schwab.):

« Nunc Galliae timetur et Britanniae. »

Avancius:

« Timentque Galliae hunc, timent Britanniae »

Turnebus:

« Timetque Gallia hunc, timet Britannia. »

Dousa pater:

Timetque Gallia hunc, timent Britanniae. »

Lachmannus:

« Time Britannia hunc, timete Galliae. »

M. Hauptius,

« Timete Galliae, hunc time Britannia. »

Spengelius :

« Et hunce Galliae et timent Britanniae. »

I. Munro :

« Et huice Gallia et metet Britannia? »

L. Müller :

« Timentne Galliae hunc, timent Britanniae »?

Tot taliaque partim acuti partim minime acuti viri in medium protulerunt. Quis autem tam ferreus est qui de singulis disserere sustineat ? Quare, propero ad meam coniecturam.

Poeta enumerat praedas, quas vocat, Mamurrae, hoc est ea quae gulae et luxuriae et luxui eius in praedam concesserant : 1° Paterna bona. 2° praedam Ponticam (manubias ex bello Mithridatico procul dubio, ut intelligit Hauptius, non ea quae Caesar ex Bithynia reportaverat, quae sententia fuerat I. Vossi.); 3° praedam Hiberam (manubias ex bello Lusitanico, iudice I. Vossio, assentiente M. Hauptio). Denique de quarta locutus est poeta praeda, nimirum ex Gallia et Britannia. Quaenam verba sub verbis corrupte traditis latent? Ego sic existimo: quum poeta *servato temporis ordine*, enumeraverit iam tres praedas, pergatque porro enumerare eas, aut *quarta* ei dicendum erat, versusque fortasse hic fere faciendus :

« Fiuntque *quarta* Galliae et Britanniae. »

aut, quoniam *quarta* preda eadem esset *postrema*, pro *quarta* aliud verbum ponendum, dum, tempore quovis modo notato, intelligeretur eam esse postremam non modo, sed etiam praesentem et in promptu, ver-

susque faciendus huiusmodi, particula *nunc* tempus iustum notante :

« Nunc Galliae timent, timent Britanniae. «

Quamquam ego is non sum qui mihi confidam prae aliis veras lectiones eruere posse, fateberis tamen me non inepte ea statuisse, quibus in emendando versiculo nitendum videtur esse.

Geminata verba *(timent timent)* in eodem versu aut in eodem carmine, atque adeo geminatos versus Catullum adamasse, in cap. superiore copiosius docui.

AD CATULLUM 66, 59

CAPUT IV.

In codicibus extat:

« *Hi dii ven ibi* vario ne solum in lumine caeli. »

In nonnullis autem *Ni* pro *hi.* In Datano pro *ven* est vacuum spatium.

Critici autem quae coniecerunt sunt haec:

Statius: *lumin uti*, etc. Vossius: *Sidere ubi.* G. Hermannus: *Siderei ut.* Hauptius: *arduei ibi.* Froehlichius: *Hic etenim.* Heysius: *Indidem ibi.* Pleitnerus: *Inde sibi.* Peiperus: *Lumen ibi.* Ritschelius: *Numen ibi.* Coningto: *Advena ibi.* Behrensius: *Hic nivei.* Ellisius: *Hic iuveni Ismario.*

Locum desperatum vocat in edit. sua L. Muellerus, qui nullam hac de causa excogitat emendationem.

Πλόκαμον Catullum ex graeco Callimachi expressum Latinis sacrasse Musis rogatu Q. Hortensi Hortali oratoris, res est pervulgata. (Catull. 65,15 seqq).

Exemplaris autem Graeci duo tantummodo super-

sunt hodie versus, iique in principio fere carminis, isti:

ἡδὲ Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τόν Βερενίκης
βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

qui magno quidem usui fuerunt in emendando Catullo 66,7 seqq. (v, 7 pro eo quod codices praebent *in numine* requiri videtur *in lumine*, quum *caelesti in lumine* melius reddat graecum ἐν ἠέρι. V. 9 pro eo quod codices praebent *dearum*, Hauptius, collato graeco θεοῖς intellexit corrigendum esse *deorum)* sed nobis nihil prodesse possunt.

In carmine caesaries reginae Berenices loquens inducitur, refertque cum alia multa, tum etiam se a regina, rege ad bellum profecto, omnibus divis, si vir incolumis rediisset, votam primum, deinde, damnata voti regina, iis datam, atque in gremium Veneris sublatam, a dea continuo inter sidera relatam fuisse, etc. Cetera quae caesaries porro narrare pergit huc non faciunt, sed sunt expendenda et trutina pensanda verba ipsa Catulli, ubi coma conversionem sui in sidus commemorat: *diva, ne aurea corona ex Ariadneis temporibus foret fixa solum . . . . in vario lumine caeli, sed (ut) nos quoque, exuviae devotae flavi verticis, fulgeremus, posuit me, cedentem, uvidulam a fletu, ad templa deum, sidus novum in (sideribus) antiquis.* Nunc velim ad illud animum advertas, quod alibi planius explicavi (cap. II §. IV), quanto scilicet opere Catullus lusum verborum adamaverit in eodem vel carmine vel etiam versu iteratorum: ad illud praeterea, in verbis modo allatis *solum* non admodum apte adverbii vice fungi. Quae quum ita sint, spero fore

ut non longissime a veritate aberrem, si ita statuero, Catullum fortasse scripsisse:

« *Sidus ibi* vario ne solum in lumine caeli. »

Solum epitheton pertinebit hac ratione ad *sidus*, quod multo aptius fieri videtur quam si adverbialiter id accipiatur. Praeterea, quod maximum est, *sidus* in v. 59 ad *sidus* in v. 64 concinne atque ad Catullianum dicendi genus perquam accommodate respondebit, sententiaque orietur expeditior et perfacile currens.

Quod nisi phalangi illi criticorum me inserendum putaveris, qui in isto versu supervacaneum, ne perniciosum dicam, laborem exantlaverunt, leges mecum:

« *Sidus ibi* vario ne *solum* in lumine caeli
Ex Ariadneis aurea temporibus
Fixa corona foret, sed nos quoque fulgeremus
Devotae flavi verticis exuviae,
Uvidulam a fletu cedentem ad templa deum me
Sidus in antiquis diva novom posuit. »

AD CATULLUM 68, 60

CAPUT V.

I. Carmen 68 revera ex duobus carminibus conflatum fuisse quae librarii perperam coniunxerint, multi arbitrantur, et recte fortasse arbitrantur. Ego vero hanc quaestionem in praesentia relinquo: id tantum moneo, me necessario versus numerasse a primo usque ad postremum, nulla facta divisione, quae in numerandis versibus non bene adhiberetur.

Hisce monitis venio ad v. 60, qui in codicibus ita extat scriptus:

« Per medium *densi* transit iter populi. »

Somnia Santeni, qui in versibus qui praecedunt pro *valle* scribi volebat *colle*, missa facio. Item Huschkii, qui in hoc versu *scopuli* non *populi* legendum esse censebat; contra quem Hauptius rectissime *populi* defendit. Quo magis noluissem Hauptius Huschkium probasset, affirmantem non bene dici potuisse *iter densi populi*, atque porro mutasset *densi* in *sensim*, id quod eo gravius doleo, quod *sensim* postea est receptum in editione Teubneri Lips., quae in manibus est omnium. Namque si, id quod nemo negat, latina sunt *iter populi*, quare *iter densi po-*

puli non sint latina non perspicio, nisi quis forte credat *densus populus* a germana latinitate abhorrere. Sed quum *densus populus* sint latina mera (exempla viri docti non requirent a me, in re videlicet tam liquida : *densum vulgus Hor. Carm.* 2, 13, 32. *Densi Troes Agyllini et Arcades Virg. Aen.* 12, 297 seq. cf. 12, 563, 574, quae exempla memoriter scribebam, ut mihi statim occurrebant, innumerabilia inventurus si auctores data opera pervolutassem) causa non est cur ab auctoritate codicum recedamus. Praeterea nescio an fallatur Hauptius, epitheto, quod cum *populi* est coniunctum, detracto: siquidem locus hic Catulli omnibus poeséos luminibus exornatur neque substantiva suis adiectivis privantur, ita : mons *aerius*, rivus *perlucens* volutus *praeceps de prona* valle, iter *medium, dulce* lèvamen, viator *lassus, gravis* aestus, agri *exusti, niger* turbo, aura *secunda*, quae nemo quod sciam animadvertit, sed magni sunt momenti ad iudicandam orationem, quae nitore splendoreque poetico vult manifesto quantumcumque fieri potest illustrari.

II. Unum nunc addere velim, si forte finem quaestioni maximae imponere possem. Quaestio illa nimirum iam diu criticos torquet, utrum prior ex duabus pulcherrimis comparationibus quarum a v. indè 57 altera alteram excipit, ad fletum Catulli, qui in versibus qui praecedunt describitur, pertineat, an ad auxilium quod Allius Catullo tunc est largitus. Sed quo melius quod dico intelligatur, versus 51-66 adscripsi :

« Nam, mihi quam dederit duplex Amathusia curam, — Scitis, et in quo me corruerit genere, — Cum tantum arderem quantum Trinacria rupes — Lymphaqueiu Oeateis Malia Thermopilis, — Maesta neque adsiduo tabescere lumina fletu — Cessarent tristique imbre madere *genae*, — Qualis in aerii perlucens vertice montis — Rivos mu-

scoso prosilit e lapide, — Qui cum de prona praeceps est valle volutus, — Per medium densi transit iter populi, — Dulce viatori lasso in sudore levamen, — Cum gravis exustos aestus hiulcat agros: — Hic velut in nigro iactatis turbine nautis — Lenius aspirans aura secunda venit — Iam prece Pollucis iam Castoris implorata — Tale fuit nobis Allius auxilium. »

Plerique ita iudicant, comparationem ex rivo depromtam pertinere ad ea quae sequuntur, hoc est ad auxilium Allii: pauci contra. Utrorumque rationes collegit nuperrime Ellisius; quas hic attingendi otium non est, nedum singulas exponere et enucleare vacet; utilius enim nova argumenta in medium afferuntur, quam vetera repetuntur. Ego vero memini me ibi iam pridem deprehendere vestigium Homericum, quod a nullo hactenus observatum, (hactenus enim contulerunt critici *rivos* v. 58 cum *Iliad.* 9, 14; v. 60 cum *Iliad.* 15, 681: vide apud Ellisium; praeter ea nihil cum *Iliade* contulerunt.) litem vel omnino dirimet, vel saltem ad eam dirimendam magno opere pertinebit. Contuli enim locum Catulli cum *Iliad.* Π, 2 seqq. ubi fletus exprimitur Patrocli:

> Πάτροκλος δ' Ἀχιλῆϊ παρίστατο, ποιμένι λαῶν
> δάκρυα θερμὰ χέων, ὥστε κρήνη μελάνυδρος
> ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ.

Si, ut ego existimo, in comparatione illa Catullus ad Homerum respexit, iam constabit lacrimas suas Catullum composuisse rivo qui prosilit *e lapide in vertice alti montis*, non secus atque Homerus lacrimas Patrocli cum fonte qui *ab excelsa petra* aquam fundit confert, iamque patebit imaginem referri, apud Catullum, ad ea quae praecedunt.

AD CATULLUM 95, 7

CAPUT VI.

I. Quod supra animadverti de Catulli ingenio abhorrente a latebris illis, paene dixerim, fictorum nominum, sub quibus aliquos carperet, movet me ut negem probabilia esse quae recentiores hac in re Catullo obtrudere volunt.

Carminis 95 argumentum hoc est: Lecto Catullus epyllio, cui titulus *Smyrna*, Helvii Cinnae, boni poetae eiusdemque sibi amicitia coniuncti, gratulatur auctori, vaticinatus carmen in insulam usque Cyprum, nimirum in sedem ipsam fabulae in eo celebratae deventurum, atque futurum immortale. Qua arrepta occasione, comparat cum laboriosissimo opere Cinnae (novem annorum cura), tum versus minime laboriosos Hortensii oratoris magni, sed inferioris subsellii poetae (*invenusta* appellantur carmina Hortensii in notissimo loco Gellii 19,9), tum pessimi annales Volusi cuiusdam. Cetera persequi non ita est necesse; quis vero fuerit Volusius iste ignoratur, nec stabilia sunt quae, ab Hauptio olim statuta, nunc paene pro certis habentur. Hauptius enim, qui optime quidem

omnium disseruit de epyllio C. Helvii Cinnae (cuius nunc perpauca supersunt fragmenta) primusque intellexit quid sibi voluerit Catulli versus, qui nunc est quartus carminis (nunc; nam post tertium versum aliquid excidit) :

« Smyrna cavas Satrachi penitus mittetur ad undas. »

ad Volusium quem Catullus vituperat quod attinet, nimium videtur mihi coniecturis indulsisse statuendo sub nomine *Volusi* Catullum perstringere Tanusium Geminum historiarum auctorem.

II. Res igitur ita se habet. Non modo in carmine 95 (ubi Catullus ait Cinnae quidem epyllium *Zmyrna* fore ut ubicumque terrarum innotescat, at annales Volusi morituros esse ad ipsam Paduam, ubi nimirum vel nati vel alti fuerint) sed multo magis in carmine 36 poeta invehitur in Volusium eiusque annnales, quos in versibus primo et postremo appellat *cacatam chartam*, in sexto et septimo *electissima scripta pessimi poetae.* Quare, sicuti olim Ennius, L. Accius, A. Furius aliique apud Romanos fecerunt, ita *Volusius* quoque videtur *Annales* non prosa oratione sed versibus condidisse. Quod sequitur quum ex testimonio Catulli (is vocat eos *scripta poetae*), tum etiam ex eo quod in carmine 95 Catullus eos comparat cum epyllio Cinnae cumque carminibus Hortensii; carmina enim cum carminibus comparari volunt.

III. Quaeritur nunc quis fuerit Volusius iste, aequalis Catulli, carminis epici auctor, quem nusquam praeterea memoratum invenimus, quique ei uni qui tam male eum mulcavit infelicem celebritatem debere videtur. Nunc vero *Seneca epist.* 93, 9

loquitur de annalibus Tanusii cuiusdam, nomen malum adeptis: « annales Tanusii scis quam ponderosi (*non decori pro ponderosi* etiam exhibetur) et *quid vocentur* ». Quibus verbis *quid vocentur* acutissime olim Iustus Lipsius arbitratus est intelligi *cacatam chartam* illam. Ad Lipsii sententiam autem non modo accedit Hauptius (sicuti omnes accedere possunt, dummodo tamquam ad sententiam probabilem non certam), verum inde profectus multo etiam longius sed multo minus tuto progreditur. Siquidem Hauptius existimat, si Lipsii stet coniectura, inde effici verum dilacerati poetae nomen *Tanusium* fuisse, non *Volusium*. In quo ego non omnino assentior Hauptio, quum potius credam poetam illum utroque nomine appellatum fuisse: *Volusius Tanusius* vel *Tanusius Volusius*, adeo ut, altero omisso nomine tam bene *Volusius* quam *Tanusius* vocaretur.

Longius progressus Hauptius, collato *Suet*, Caes. 9: « Nec eo secius maiora mox in urbe molitus « est. Siquidem ante paucos dies quam aedilitatem « iniret, venit in suspicionem conspirasse cum Marco « Crasso consulari, item Publio Sulla et L. Autronio « post designationem consulatus ambitus condemnatis, « ut principio anni senatum adorirentur, et trucidatis quos placitum esset, dictaturam Crassus invaderet, ipse ab eo magister equitum diceretur, constitutaque ad arbitrium re publica, Sullae et Autrono « consulatus restitueretur (1). *Meminerunt huius « coniurationis Tanusius Geminus in historia,* « Marcus Bibulus in edictis, C. Curio pater in ora-

---

(1) Haec est facta coniuriatio ineunte anno U. C. DCLXXXIX Cf. praeterea *Sallust. Cat.* 18, *Dion. Cass.* 36, 27, *Ascon. in tog. cand.* Orell. p. 93. Kiessl. p. 82.

« tionibus. De hac significare videtur et Cicero, in « quadam ad Axium epistula referens, Caesarem in « consulatu confirmasse regnum, de quo aedilis co- « gitarat. *Tanusius adicit*, Crassum penitentia vel « metu diem caedi destinatum non obisse, et idcirco « ne Caesarem quidem signum, quod ab eo dari con- « venerat, dedisse » etc., statuit, quem *Volusium* Catullus nuncupat, fuisse *Tanusium Geminum* memoratum apud *Suet.* atque etiam apud Plut. *Caes.* 22. Perperam vero Hauptius probare conatur Tanusium Geminum aequalem Catulli et Caesaris fuisse: aequalem eum Catulli fuisse Hauptio est argumento quod Tanusio Gemino auctore una cum aliis (Caesare, M. Bibulo, C. Curione, Cicerone, Asin. Pollione, Licin. Calvo, Dolabella, C. Memmio, M. Bruto, C. Oppio, Augusto, Hirtio, Cornelio Balbo), aequalibus illis Caesaris, *Suetonius* usus est. Perperam aio: Suetonius enim una cum aequalibus Caesaris potuit uti auctore qui multo postea floruerit.

In magnam alteram difficultatem incidit Hauptius, ex qua non sagacius sese expedivit. *Suet.* enim usus est *historia* Tanusii Gemini, quum e contrario Volusius *Annales* versibus condiderit. At, addit Hauptius, praeter *Annales* possumus credere eum *historiam* quoque post mortem Caesaris conscripsisse. Hoc autem est hominis, pace sit summi viri dictum, coniecturas coniecturis confirmantis. Nonne praestat quae diiudicari nequeunt in incerto relinquere?

IV. Utrumque argumentum quo Hauptius est usus non satis valere fatendum est. Idem videtur effici ex illis quae *Plut. Caes.* 22, auctore Tanusio, narrat: haec autem, quibus nihil statuo, tanti facies quanti voles. Narrat igitur Plutarchus: Senatu, ob res a Caesare anno U. c. DCLXXXXIX bene ge-

stas, (contra Usipetes Germanos et Tenchteros, trangressos flumen Rhenum non longe a mari quo flumen influit), supplicationem decernente, Catonis sententiam fuisse: quoniam Caesar ius divinum et humanum violasset, hostibus Imperator piaculum dedatur. Ex quo mihi videtur effici Tanusium, qui haec litteris mandare non dubitaverit, inimicum fuisse Caesari, Catullo autem, si modo eius aequalis fuit, necessario amicum, neque a Veronensi poeta eo modo dilacerari potuisse.

Ad summam aio: quum Catullus, in carmine 29 contra Mamurram scripto, non dubitaverit invehi apertissime in potentissimos viros Caesarem, Pompeium, et Mamurram, non simile videtur veri eundem Catullum, ut carperet auctorem annalium, hominem certe neque potentem neque nocentem, ad fictum confugisse nomen. *Volusius* itaque appellabatur sine dubio *cacatae* auctor *chartae*. A vero autem non admodum aberrabunt si qui arbitrabuntur in loco Senecae allato intelligi Volusium Catulli: quae coniectura, si rationem habet, *Volusius Tanusius* vel *Volusius Tanusius* vocabatur ille: haec vero est coniectura. At cum *Tanusio Gemino*, cuius *historias* legerunt *Suetonius* et *Plutarchus* (eae necessario res complectebantur minimum ab anno U. c. DCLXXXIX, qua coniuratio est facta, cuius, teste *Suetonio*, meminit *Tanusius*, usque ad DCLXXXXIX, quo *Cato*, teste *Tanusio* apud *Plut.*, atrocem illam in Caesarem sententiam dixit) nihil Volusius Catulli: neque enim constat Volusium historiis scribendis operam dedisse, neque *Tanusium Geminum* aequalem Catulli fuisse.

AD CATULLUM 114, 6

CAPUT VII.

I. Carmen est in *Mamurram* sub *Mentulae* nomine vituperatum, in quem et carmen 29 et alia complura quae nostra legentibus satis sunt nota.

In uno sexto eodemque postremo carminis versu sunt quae mea quidem sententia etiamtum emendatione aliquanto probabiliore careant, immo egeant. Cetera melius fuerunt emendata, etsi non aeque in omnibus pari felicitate sunt critici versati. Quare haud abs re erit omnium primum, antequam ad verba quae expendere institui veniam, quam brevissime lectiones in codicibus traditas inspicere, atque emendationes quae nunc omnium sententia probabiles videntur in medium afferre. Itaque prima carminis verba sic exhibent codices omnium optimi Datanus et Laurenti Santenii: *Firmano salius:* pro quo olim in Aldina, levi litterarum mutatione facta, scriptum fuit *firmano saltu,* quam emendationem deinceps probarunt editores plerique Muretus, Statius, Vossius, alii, summa concordia. Quamquam vero Scaligero placuit *Formianus saltus* (propterea quod Formiae erant urbs Mamurrarum, teste *Horatio Sat.* 1,5,37), posteriores tamen ad *Firmano saltu,* ducibus codicibus, reversi sunt.

Complura alia Scaliger immutaverat: *exuperat* in *exuperas* (vers. 4), *egeat* in *egeas* (vers. 6), quae, per se neque absurda neque absona, respuenda tamen sunt, utpote quae a scriptura codicum recedant.

Sicut inter omnes constat probabilem lectionem esse *Firmano saltu*, ita etiam constat inter omnes in eodem versu pro eo quod est in Datano *mensula* scribendum esse *Mentula*; item in tertio versu pro eo quod codices exhibent *aucipiam*, scribendum esse, ut Itali saeculi XV censuerunt, *aucupium*; denique in postremo versu pro eo quod in codicibus scriptum extat *saltem* scribendum esse *saltum*. Sed pergo ad v. 6.

II. In altero hemistichio postremi pentametri exhibetur in codicibus: *dum modo ipse egeat*, in quo sententia quidem staret, sed offendit hiatus, cuius vitandi causa olim edebatur, mutato intoleranda audacia *modo* in *tamen*, *dum tamen ipse egeat* (Avancius). Postea Lachmannus hiatum rursus admisit, sed pro eo quod est *modo* quum coniecisset *domo*, edidit: *dum domo ipse egeat*. At si carminis sensum probe teneo, verba haec quae Lachmannus posuit cum iis quae praecedunt, male coniunguntur. Catullus enim concedit Mamurram divitem esse, si fundi, quem is habebat, ratio tantummodo habeatur: ((huc faciunt quae *Cicero ad Att.* 7,7,6 habet: « et Labieni *divitiae et Mamurrae* placent »); sed rursus, sumptuum ratione habita, negat eum divitem esse; quae poetae nostri argumentatio iusta est; sed nulli unquam sano, ne inimico quidem, de eo loquenti, qui nisi sumptibus superasset fructus ditissimus videri potuit, hoc excidisset verbum, nimirum hominem hunc ipsum ob sumptus exuperantes non modo divitiis sed *domo* ipsa caruisse. Quo magis

mirandum Hauptium Lachmanno assensum fuisse. Alii ad lectionem codicum redierunt edentes (sic Ellisius) *dum modo ipse egeat*, in qua certe, si hiatum excipias, nihil est, quod quidem offendat. Alii vero (sic L. Müll. praef. p. XXXVIII), quum neque in ceteris Catullianis, neque apud reliquos Romanos auctores in altero pentametri hemistichio hiatus unquam occurrat, negant Catullum hoc in loco ita scripsisse. Ceterum Muellerus quum ederet *dum modo eo ipse egeat*, hiatum quidem sustulit, sed versum inconcinnumr eddidit. Ego autem scribendum censeo *dum domus ipsa egeat*. Quem meam lectionem si experiendi causa accipias, videbis non modo in penultimo versu, sed etiam in ultimo belle sibi ex Catulliano dicendi genere (cf. cap. II §. IV) verba respondere: in penultimo enim versu τῷ *concedo sit dives* respondent *dum omnia desint*: in ultimo (in quo Lachmannus et Hauptius id sane intellexerunt requiri substantivum, qui substantivo *saltui* responderet, sed aliud eos fugit, nimirum si subiectum sit *ipse*, sicut uterque volebat, praeterquam quod sententia, uti modo monebam, efficitur prava, verba inter se minus belle respondere) in ultimo v. scite omnino et argute *saltui laudando* Catullus opposuisset *domus egena*.

Iam leges igitur, si mea probas, carmen integrum ita:

Firmano saltu non falso Mentula dives
  Fertur, qui tot res in se habet egregias,
Aucupium, omne genus piscis, prata, arva ferasque.
  Nequicquam: fructus sumptibus exuperat.
Quare concedo sit dives, dum omnia desint.
  Saltum laudemus, *dum domus ipsa egeat*.



AD CATULLUM 116, 4

CAPUT VIII.

I. Quae supra (cap. II, § IV) de Catulliana scribendi ratione animadvertebam, ad carmen 116 videntur me vocare, iam pridem illud optime emendatum, si tamen versum quartum excipias, non eadem qua reliqui usum fortuna, qui in codicibus sic extat scriptus:

« *Telis infesta mitteremusque* caput »

In quo Lachmannus, quem Ellisius sequitur, coniecit: *Telis infestum mittere in usque caput.* Olim vero Itali: *Telis infestis icere mi usque caput*, quae in Lipsiensi editione nuper est recepta lectio. Reliquorum commenta praetereo, quorum pars ridicula paene, ut illud: *Infestum telis icere musca caput.*

In eo Itali reliquique, si qui eos sunt secuti, falli mihi videntur, quod scripserunt *icere* pro *mittere*, quod et est in codicibus, et, more Catulliano, respondet τῷ *mittere* secundi versus: ait enim Catullus, se Gellio poetae carmina voluisse *mittere* Battiadae,

ne Gellius cuperet *mittere* tela in Catullum: lusus verborum apertus est. Aliis quoque de causis falluntur mea sententia, et primum quidem propterea quod si quando usurpabatur *icere*, (fuscina, lapide, pugno, tragula, sagitta, umbone, funda, fulmine, etc.; metaphorice: rebellione, metu, desideriis, nova re, etc.), nunquam fere addebatur pars corporis icta (femur tamen; sed *ictum* caput, subaud. *vino*, apud Hor. metaph. dicitur, idque ex Archil. (οἴνῳ συγχεραυνωθεὶς φρένας). Deinde abhorret *icere* a communi loquendi consuetudine, quae consuetudo requirebat ut scriberetur non *icere telis aliquem* vel *aliquid,* sed *petere* telis.

II. Haec sunt ob quae sine ulla dubitatione arbitror lectionem *Telis infestum icere mi usque caput* planissime excutiendam esse. In eo autem Lachmannus quique ei assentiuntur mihi videntur falli, quod *mittere* absolute perraro usi sunt Romani: unum omnino exemplum inveni apud *Ovid. Fast.* 3.584: « Quam quantum novies *mittere* funda potest, » ne id quidem ad id, quod volunt, efficiendum, accomodatum, etsi Ellisius eo ipso nititur: namque apud Ovidium subiectum verbi est *funda,* in versu Catulli vero nullum est subiectum. Absonum est igitur *mittere telis:* dicendum aut *petere telis,* aut *mittere tela.*

Sunt et alia: siquidem *telis infestum caput* non ita bonum est, perbonum e contrario *tela infesta.* Respexeritne ad Gellium 9,12 Lachmannus, nescio; ibi Gellius de verbis agit quae duplici eademque contraria significatione gauderent: *formidulosus* inquit, dici potest et qui formidat et qui formidatur; *invidiosus* et qui invidet et cui invidetur; *suspitiosus* et qui suspicatur et qui suspectus est; *ambitiosus* et qui ambit et qui ambitur; *gratiosus* et qui adhibet gratias et qui admittit; *laboriosus* et qui laborat et

qui labori est. « *Infestus* quoque, » pergit dicere: « ancipiti significatione est. Nam et is *infestus* appellatur, qui malum infert cuipiam, et contra, cui aliunde impendet malum, is quoque *infestus* dicitur. »

Quae quidem Gelliana favere sane videntur coniecturae Lachmanni ab Ellisio defensae (adeo ut mirari non desinam Gellii locum Ellisium fugisse); porro eidem favet coniecturae locus quidam Q. Curtii 4,6,22: « interiora quoque urbis *telis infesta* erant, » quem locum Barthius olim attulit repetivitque nuperrime Ellisius. Et tamen, quamquam propter istud *telis infesta* Curtii, in sententiam Lachmanni facile videmur esse concessuri, rursus, ubi ad illud *mittere* respicimus, ab ea ipsa ultro discedimus, probabiliorem emendationem aventes. Habeas igitur hanc, cuiuscumque modi ea est:

« *Tela infesta meum* mittere in usque caput. »

Duo levia addo. *Tela* etiam metaphorice usurpata fuisse notum est: *Ovid.* Pont. 4,6,36 *tela linguae* item *tela fortunae* etc. Ad *in usque* quod attinet apte conferunt critici Stat. Theb. 1,438..... « Quae causa furoris — Externi iuvenes? neque enim meus audeat istas Civis *inusque* manus ». Apud Catullum autem memini me legere bis *ad usque* (3,10. 4,24.)

DE FONTIBUS TITI LIVI 21, 1-20

CAPUT IX.

I. Pauca nonnulla dicere aggredior, quae, parva ipsa per se, alicuius tamen sunt momenti, si qui rationem cognationemque perspicere studeant, quae forte intercedat inter opus Livi et opera quibus Livius usus est. Sane perraro contingit, qui status condicioque veterum nunc est litterarum, ut aliquid certius de huiusmodi re statui possit: siquidem Livius, res gestas Romanorum universas complexus, ea scribendi quum vi tum ubertate amoenitateque litteris illas mandavit, ut historicos Romanos ante se omnes oblivioni facillime devoverit, effeceritque ut eorum Annales ne aetatem quidem ferrent. Quibus operibus deperditis, obscurata cognatio illa atque adeo est tenebris involuta et paene obruta, ut iam aut nullum aut perexiguum industriae eorum proponatur praemium, qui pro se quisque in eo elaborant ut tandem pateat, aliqua saltem ex parte, a quo primum scriptore quaeque res notata, a quibus deinceps auctoribus labentibus saeculis usque ad Livium fuerit

narrata, tum constet opiniones vulgo hominum, temporum, historicorumque notitiam rerum quanto opere depravaverint.

Multi nostra aetate operam iam navarunt explanandis explicandisque fontibus, quum universi operis Liviani, tum maxime tertiae decadis partisve alicuius tertiae decadis. Quorum tamen sententiae, ad tertiam decadem quod attinet, (quas sententias nunc nec referre nec refellere attinet : qui studiis nostris obsequuntur teneant eas necesse est ; reliquos non moror), absit verbo invidia, non tam quaestionibus finem imponere, quam ad quaestiones denuo pertractandas movere possunt. Indiget vero omnium maxime locus Livii 21,1-20 paullo curiosioris investigationis, quippe in quo non satis diu immorati sint critici, festinantes ad 21,21, a quo inde capite vestigia demum Polybii, quae antea hic atque illic tantummodo deprehenduntur, continua et perpetua fiunt, quaesituri scilicet utrum Patavinus in libris 21 et sequentibus Polybio sit an non sit usus, tum, si sit, a quo inde sit capite. (Polybius bellum quoque Punicum secundum in historiis suis descripsit: multi supersunt libri, in his tertius, in quo eadem auctor persequitur quae Livius in libr. 21 et 22). Quae quidem quaestio ea praesertim de causa summopere est difficilis, quod ex iis qui res in loco Livii isto narratas ante Livium litteris vel Graecis vel Latinis mandarunt, unus integer superest Polybius, praeterea nemo fere e naufragio veterum litterarum enatavit.

Sit nobis igitur propositum, pauca, eademque non aliena, sed tota nostra, de fontibus Titi Livii 21,1-20 disserere. Quam quaestionem relinquere possunt qui historicos agunt, quibus nimirum satis est considerasse, ubinam rerum scriptores inter se vel consen-

tiam vel discrepent, quum e contrario eos deceat, qui litterarum fata pervestigant, in rationem quum reliquorum operum, tum etiam historicorum apud veteres conscribendorum accurate inquirere.

II. Capita ista viginti, in peculiari, ad fontes quod attinet, prorsus sunt causa. Locum critici bifariam dividere consueverunt, prout vestigia Polyb. aut insunt aut non insunt. Verum neque haec divisio rationem habet, neque omnia adhuc vestigia Pol. sunt perspecta. Polybii vestigia non modo cum omnibus deprehendi ego bis: 21,5. 21,18,8-19,6 (in utroque loco Livius adeo cum Pol. 3,13,5 seqq, 3,21.29 consentit, ut eum vertisse videri possit), sed etiam 21,1. 2. 6; praeterea in nonnullis quae ad notationem temporis pertinent. Neque unde ea sint repetenda adhuc probe quaesitum fuit.

Explicandum erit igitur nobis, primum quatenus apud Liv. 21,1-20 vestigia Pol. pertineant, tum unde ista vestigia sint repetenda. Partem deinde, in qua Polybii vestigia nulla deprehenduntur, rursus bifariam ego divido, prout Livium cum aliquo auctore conferre hodieque aut est, aut non est. Quae postrema quum minoris sint momenti, statim et ante reliqua absolvere decrevi.

Desunt apud Pol. quae sunt apud Liv, 21,3. 4. 7-15,2. 9,3-11,2. 15,3 seqq. (usque ad finem capitis). 16. 17. 19,6-20. Haec singillatim inspiciamus.

III. Liv. 21,15,3 usque ad finem capitis. Pauca sunt hic dicenda, quum, si prima excipias verba, (hic vestigia Pol. extant), Livius suus sit. Prima ista verba haec sunt: « Octavo mense, quam coeptum « oppugnari, captum Saguntum quidam scripsere (cf. « Polyb. 3,17,9); inde Carthaginem Novam in hi- « berna concessisse (cf. Polyb. 3,17,10); quinto

« deinde mense, quam ab Carthagine profectus sit, « in Italiam pervenisse » (cf. Polyb. 3,56,3). Sequitur deinde argumentatio quaedam ipsius Livii: « Quae si ita sunt, fieri non potuit, ut P. Cornelius « Ti. Sempronius consules fuerint, ad quos et prin- « cipio oppugnationis legati Saguntini missi sint, etc, « (cf. Liv. 21,6,2 seqq.) »

IV. Liv. 2,17. Hic quoque sunt pauca dicenda. Provinciae enim et copiae inter consules narrantur divisae: quibus in rebus fons pristinus, ut alibi docui, (1) fuerunt decreta Senatus Romanorum; quamquam Livius ad ipsa decreta confugisse non est dicendus. (2) Auctor quis fuerit ex quo in hoc capite Livius sumpserit quaerere ne conor quidem, quum universi annalium scriptores hasce res necessario exposuisse videantur.

V. Liv. XXI, 7-15. Describitur Sagunti oppugnatio. Causa, cur Polybius paucis tantummodo verbis rem memoraverit (3,17,4. 3,17,18-10), aperte patebit cuicumque et ratio historiarum Polybii sit perspecta. Namque summus hic historicus res gestas non habuit in more earum ipsarum causa persequi, sed potius, ut historicum decet, eorum causa quae res gestas consequi consueverunt: narraturus itaque bellum Punicum secundum, res gestas Hamilcaris atque Hasdrubalis in Hispania paucis tantummodo verbis attigit, at bella Hannibalis contra Olcades Vaccaeos et Carpetanos satis plene enarravit, ratus scilicet ita fore ut lector probe doceretur a quibus Hannibal

---

(1) In Actis Acad. Lync. ann. 1881 in prooemio dissertationis quae inscribitur: *Tentativo di critica sui luoghi Liviani*, etc.

(2) Id sequitur ex iis quae in capit. I. III. IV. V. laudatae modo dissertationis explicavi.

initiis profectus, consilium ceperit belli contra Romanos moliendi viresque sit ad id adeptus. Quid? quod ne res quidem Galliae aliam ob causam plenissime exposuit (2,14-33), quam ut ostenderet quibus populis quibusque locis fretus Hannibal susceperit evertere imperium Romanorum (Pol. 2,14,2 χάριν τοῦ μαθεῖν τίσι μετὰ ταῦτα πιστεύσας ἀνδράσι καὶ τόποις Αννίβας ἐπεβάλετο καταλύειν τὴν Ῥωμαίων δυναστείαν. (1).

VI. Liv. 21,4. Iuvenis Hannibal graphice depingitur. Locus non admodum est notus, et tamen est dignus qui mentibus hominum haereat. Nusquam memini me intueri in antiquis aut in novis litteris exemplar et quasi imaginem imperatoris tam paucis verbis (et tamen tantam) descriptam: habilis ad parendum et ad imperandum; carus imperatori et exercitui; adhibitus ab imperatore quotiescumque aliquid strenue agendum esset; eo duce unice confidere milites; audax et prudens in uno; animus invictus; corpus patiens laboris, caloris et frigoris; parcus, abstinens; noctu non minus quam interdiu, si opus foret, agere; cubare et vestire ut unus ex omnibus, ceterum armis et equis insignior; eminere non mi-

---

(1) Ceterum, quoniam sermo nobis incidit in eas res quas Polybius aut omisit aut perquam leviter attigit, haud abs re erit notare perperam ab explanatoribus Livii (cf. Weissenbornium ad Livium 21,6,1 *Polybius berührt diese Verhältnisse nicht*) affirmari Polybium omnino omisisse quae de Turdetanis tradunt Livius (XXI 6,1) et Appianus (Ib. 10), quemadmodum videlicet Hannibal opera usus sit Turdetanorum, qui Saguntinos apud se accusarent, ab bellum Sagunto inferendum. Narrat enim Polybius (3,15,8) Hannibalem misisse Carthaginem consultum quid faceret quod Saguntini, Romanorum societate freti, *nonnullis* iniurias facerent, qui in dicione erant Carthaginiensium. Abstinuit quidem nomine Polybius, sed isti *nonnulli* sunt procul dubio Turdetani.

nus inter pedites quam inter equites; primus in proelium ire, postremus proelio excedere. Eae eius fuerunt virtutes. Vitia addit Livius nonnulla, ad imaginem scilicet eius perficiendam. Quanta ex parte in ista descriptione Livius ab aliis sit, tum quisnam eius potior auctor fuerit, quis possit nunc diiudicare? Etenim consentaneum est multos auctores veteres indolem Hannibalis expressisse. (Cf. Dion. Cass. Fragm. 54 edid. Dind. I, p. 84 seqq; etsi nonnulla quae Dio exhibet ad alium potius ducem mihi videntur spectare, quam ad Hannibalem).

VII. Quae sunt in loco Livii 21,16., hoc est quanto moerore senatores Romani affecti fuerint ubi Sagunti excidium nuntiatum est, sunt ea ipsa quae Pol. 3,20,3 in quibusdam historicis acerrime vituperat. Quem annalium scriptorem secutus sit Livius iam quis quaerat? neque ego hariolari volo.

Sed ad uberiora iam gradum facimus.

VIII. Liv. 21,9,3-11,2.3. Docemur in priore loco legatos Rom., quum Hannibalem Saguntum iam oppugnantem offendissent, ab eo prohibitos, Carthaginem, sicuti iussi erant, se contulisse; porro in Senatum Carthaginiensium deferimur, audituri orationem Hannonis hortantis ne foedera cum Romanis icta violarentur. De legatis Rom., quos Hannibal neque audire neque videre voluit, fusius disseram postea. Coelium Antipatrum auctorem Livii autumant esse, ea causa quod et apud Nonium pag. 50 hoc extat fragm. Coeli: « tantum *bellum suscitare* conari adversarios « contra bellosum genus » quae verba cum verbis Livii in oratione Hannonis conferri consueverunt « per deos foederum arbitros ac testes senatum « obtestans ne Romanum cum Saguntino *suscitarent* « *bellum* » et apud Priscianum legitur 10,17 p. 886 :

« Caelius in I: qui cum is ita foedus icistis » quae cum iisdem Livii verbis conferri solent. Sane per totam orationem stilus vehemens redolet fortasse Coelium, qui Coelius, teste Tullio, maiorem historiae vocis sonum addiderat; sed haec sunt nimis incerta. Ad me quod attinet vellem potius orationem hanc Hannonis una considerare cum oratione quam habes apud Liv. 21,3 quamque idem Hanno frustra contra illos dicitur in Senatu Carthaginiensium habuisse, qui puerum Hannibalem in Hispaniam ad Hasdrubalem mitti volebant. Princeps erat Hanno partis nobilium, quae pars parti adversabatur popularium, cuius erant Hamilcar, Hasdrubal, atque Hannibal.

Quî historici Romani potuerint tam bene resciscere res actas in Senatu Carthaginiensium, iam non perspici licet: res oratorie ab historicis Romanis ad factionem Barcinam vituperandam fuerint exornatae oportet; notandum autem apud Livium nos adspicere quidem principem unius factionis, sed desiderare principem alterius. E contrario apud Zonar. 8,22 praeter Hannonem occurrit Hasdrubal quidam, (1) quem,

(1) Haud scio an frustra laborantes criticos ex quadam difficultate hinc facile expedire possim. Omnes veteres auctores tradunt Hannibalem puerum, ex quo die in Hispaniam cum patre venerit, nunquam postea ante finitum bellum secundum Punicum Carthaginem rediisse. Idem tradit pluries Livius (locos vide apud Weissenbornium ad Liv. 21,3,2) praesertim vero 30,37,9 « novem, inquit Hannibal, annorum a vobis profectus post « sextum et tricesimum redii » Sed in eo est difficultas quod idem Livius, postquam narraverit Hannibalem a patre in Hispaniam ductum (21,1,4. 21,2,3), refert eum ab Hasdrubale, qui Hamilcari in Hispania duci successor fuit, accersitum fuisse, quasi non in Hispania Hannibal iam pridem esset. (21,3,2 « Hunc vixdum puberem Hasdrubal litteris ad se accersierat ») An nonnulli, et propter eos etiam Livius, cum Hasdrubale Senatore Carthaginiensium memorato a Zonara confuderunt Hasdrubalem generum Hamilcaris eundemque ducem in Hispania?

sicuti Hanno princeps nobilitatis erat, principem Barcinae factionis fuisse existimo. Arrepta autem occasione moneo aliquot post annis eundem Hannonem, Carthaginem nuntio Cannensis pugnae allato, sibi constantem praedicare non destitisse, (Liv. 23, 12, 8 seqq.) bellum exitiabile Carthaginiensibus, non Romanis fore. Quod si quid ad fontes quod attinet indagandum videtur, haec omnia consentaneum est olim scripsisse ante reliquos Romanos omnes, Fabium Pictorem, aequalem, loco conspicuo natum, senatorio aliisque honoribus summis florentissimum, ideoque peritum, si quis alius, rerum et partium Carthaginiensium. Nec tamen arbitror Livium ex Fabio ipso sua expressisse: causam autem cur ita existimem habes in iis quae modo animadvertebam: Fabius enim Pictor utriusque apud Carthaginienses partis, item utriusque partis principis mentionem fecerit necesse est, si modo das, eum hasce res attigisse. Quamobrem dixerim quidem Dionem Cassium a Fabio totum esse: (qui Dio harum rerum omnium mentionem profecto fecit, ut patet ex Zonar. modo allato, Dionemque secuto), sed non Livium, qui si in hoc loco eum perlegisset, plenius omnia et plura, quemadmodum et Dio, tradidissset.

IX. Liv. 21, 19, 6-20. Eadem, quae nuper observabamus, sunt hic dicenda. Narrat Livius quemadmodum legati Romanorum, bello Carthaginiensibus indicto, Hispaniam et Galliam peragraverint, si populos utriusque regionis, tanto imminente bello, possent in societatem Romanorum perlicere, sin minus eos saltem avertere a Poenis : quod frustra conati sunt. Rem, quae apud Polybium desideratur, narraverit oportet Fabius Pictor : senatores enim cognoscebant quae legati afferrent (legati munere sibi

demandato defuncti, legationem in Senatu solebant renuntiare), praeterea nemo, praesertim si nuntiata, sicuti nunc erant, tristia essent ideoque silentio premenda. Fusius quam Liv. videtur Dio Cassius rem narrasse, quantum quidem ex perbrevi Dionis fragm. (Fragm. 56 ed Dind. 1, p. 88) hodieque colligimus; quod fragm. mecum conferas cum Liv. 21,20,5:

ὅτι οἱ Ῥωμαῖοι Ναρβωνησίους πρὸς συμμαχίαν ἐκάλουν· οἱ δὲ οὔτε τι πρὸς τῶν Καρχηδονίων κακὸν οὔτ' αὖ πρὸς τῶν Ῥωμαίων ἀγαθόν, ὥστε τοῖς μὲν πολεμῆσαι, τοῖς δὲ ἀμῦναι, πεπονθέναι πώποτε ἔφασαν, καὶ πάνυ δι' ὀργῆς αὐτοὺς ἔσχον, ἐπικαλοῦντές σφισιν ὅτι πολλὰ καὶ δεινὰ τοὺς ὁμοφύλους αὐτῶν ἐδεδράκεσαν.	responsum legatis est, neque Romanorum in se meritum esse neque Carthaginiensium iniuriam, ob quae aut pro Romanis aut adversus Paenos sumant arma; contra ea audire sese, gentis suae homines agro finibusque Italiae pelli a populo Romano stipendiumque pendere et cetera indigna pati.

Dio Cassius hic quoque plura habet quam Livius: deest enim apud Livium mentio quae in primis Dionis verbis fit de Narbonensibus. Haec est causa cur suspicer Dionem quidem Csasium, sed non Livum ex ipso Fabio sua derivasse; neque vero Livium sua ex Dione.

X. Hactenus breviter de iis quae apud Pol. desiderantur. Ad ea iam gradum facio quae et Pol. et Liv. tradunt, quorum potissimum causa in locum Livii inquirendum duximus, quaeque uberiores investigationis fructus edent.

Liv. 21,1. Continentur hoc capite causae belli Punici secundi. Oratorie, grandiori paullo ore, et brevi-

ter, de iis agit Livius: fuso, tracto aequabilique dicendi genere Polybius. Livii autem verba quibus causae continentur haec ferme sunt. « Angebant ingentis spiritus « virum (Hamilcarem intellige) Sicilia Sardiniaque a- « missae: nam et Siciliam nimis celeri desperatione « rerum concessam, et Sardiniam inter motum Africae « fraude Romanorum, stipendio etiam superimposito, « interceptam. » In causas inquirit Polybius 3,6 seqq., qui, post refutatas historicorum opiniones, (1) duas invenit: unam maiorem, alteram minorem. Minor causa belli, Pol. sententia (3,9,6), ira est habenda quae tum magnum Hamilcarem correpuit incenditque quum primo Punico bello coactus est, invictus ipse, eas tamen pacis conditiones a Romanis accipere, quas ii dixerunt. Altera eademque potior belli causa, Pol. sententia (3,10), ex eo est repetenda, quod Romani, dum Carthaginienses, statim post primum Punicum bellum, servili laborarent bello, occasione usi, Carthaginiensibus insulam Sardiniam eripuerunt iisque

(1) Pol. invehitur in scriptores qui causas belli arbitrabantur duas has fuisse: 1° quod Hannibal Saguntum, sociam populi Romani urbem, contra foedus aggressus esset, quo foedere, finito primo Punico bello icto, cautum erat ne Romani sociis Carthaginiensium, neve Carthaginienses sociis Romanorum iniurias facerent. 2° Quod Hannibal Hiberum flumen transgressus esset contra foedus ab Hasdrubale paucis ante annis cum Romanis ictum, quo cavebatur ne Carthaginienses ultra flumen hoc Imperii Carthag. fines propagarent. Potius quam belli causae' ait Polybius, occasio et principio belli ipsius sunt duo haec habenda. — Ut hoc obiter attingam, paullo est severior Pol. Siquidem distinguendae causae remotae et causae proximae uniuscuiusque ingentis belli. In causas remotas inquirit suo iure Polybius, sed Romanis, subtilissimis acutissimisque iuris disceptatoribus, belli causae videri necessario debuerunt eae res quae ne fierent foederibus cautum fuerat.

pro tribus millibus ducentis talentis, ut nuper pacti fuerant, (Pol. 3,27,5), quattuor milia imposuerunt. Easdem igitur belli causas, si utriusque verba probe conferas, videbis apud Polybium atque apud Livium afferri. Quin immo tantus est Pol. in ceteris historicis redarguendis, ut mihi videatur ipse primus cogitando repperisse hasce causas quas affert belli : quod si ita est iam Pol. vestigia apud Liv. certissima sunt; quum praesertim apud scriptores Romanos, qui ut plurimum Fabium Pictorem certe sunt secuti, (eum autem redarguit Pol. 3,8), diversae causae necessario allatae sint.

XI. Liv. 21,2. Gesta Hamilcaris et Hasdrubalis, alterius post alterum ducis in Hispania Carthaginiensium, hoc capite continentur. Namque Carthaginienses, post primum Punicum bellum, decreverant Hispaniam subigere, paraturi scilicet sese ad aliud cum Romanis bellum. Quae hic quoque inter Pol. et Liv. intercedat ratio, paucis verbis arbitror luce clarius demonstrari posse. Fusius nimirum veteres historici res Hamilcaris et Hasdrubalis in Hispania persecuti sunt, ut hodieque constat ex iis quae etiam nunc apud Diodorum, ut mox docebo, leguntur. E contrario perpauca de iisdem rebus tradidit Polybius: (3,1,6 seqq. ut Hamilcar multa in Hispania gesserit fortiterque vitam amiserit. 2,13 quemadmodum Hasdrubal multa itidem gesserit ibi, Carthaginemque Novam condiderit, foedusque cum Romanis icerit. 2,36 quemadmodum Hasdrubal a Gallo quodam, privato homine, fuerit interfectus). Itidem perpauca tradit Livius de iisdem rebus. Sed non modo perpauca, verum, id quod huc optime facit, *eadem* fere. Eadem autem apud Livium atque apud Polybium extare tibi persuadebis dummodo conferas locum Livii supra allatum cum locis Polybii nuper citatis. Quod si brevior

in morte narranda magni Hamilcaris Livius fuit quam Polybius, causa non est cur utriusque narrationis similitudinem neges. Pari modo, Carthaginem Novam ab Hasdrubale conditam fuisse narrat Polybius, omittit Livius. In alio e contrario plura habet Livius quam Polybius, nimirum in eo quod ad mortem violentam Hasdrubalis attinet : cf. Livium 21,2,6. Polyb. 2,36,1. Utriusque verba adscribo :

LIVIUS.

« barbarus eum quidam « palam ob iram interfecti « ab eo domini obtruncat; « comprensusque ab cir- « cumstantibus haud alio, « quam si evasisset, vultu, « tormentis quoque cum « laceraretur eo fuit ha- « bitu oris, ut superante « laetitia dolores ridentis « etiam speciem praebue- « rit. »

POLYBIUS

« ἐτελεύτησε δολοφονηθεὶς ἐν « τοῖς ἑαυτοῦ καταλύμασι νυκ- « τὸς ὑπό τινος Κελτοῦ τό « γένος ἰδίων ἕνεκα ἀδικημά- « των. »

Fortitudo hominis illius celeberrima evasit apud Romanos (cf. Valer. Max. 3,3, Ext. 7 « cumque « comprehensus omni modo cruciaretur, laetitiam « tamen, quam ex vindicta ceperat, in ore constantissime retinuit. » Verba *laetitia* atque *os* ostendere mihi videntur Valer. Max. a Livio totum esse. Cf. Justinum 44,2 « inter tormenta risu exultavit « serenaque laetitia crudelitatem torquentium vicit. » Justinus quoque vel a Livio vel ab auctore est quem Livius est secutus). Ex quo factum est ut cum rei notitia pervulgata esset, eam nollet emittere, etsi omisisset Polybius, (is enim res huiusmodi quae in gravi

historia parvi momenti essent semper neglexit (1)) auctor ille, quem postea eruemus, qui ceterum Polybium secutus est. Hoc idem est dicendum de iis quae ad partes Carthaginiensium pertinentia tradit Livius 21,2,3-4 « Hasdrubal . . . : . . gener inde ob aliam « indolem profecto animi adscitus, et quia gener « erat, *factionis Barcinae opibus, quae apud mi-* « *lites plebemque plus quam modicae erant, haud* « *sane voluntate principum* in imperio positus. » Haec enim historicus Romanus, scripturus bellum Hannibalicum, omittere quî potuisset (2)?

XII. Liv. 21,5. 21,18,8-21,19,6. Quamquam de capit. 3 et 4 supra est dictum, sunt tamen hic consideranda prima verba capitis 3: « In Hasdrubalis lo- « cum haud dubia res fuit quin praerogativa mili- « taris, qua extemplo iuvenis Hannibal in praetorium

(1) Cr. quae de hac re disputo in opella quae inscribitur: *Dalla battaglia della Trebbia a quella del Trasimeno. Questioni di Storia Romana.*

(2) Nollem autem hoc de Barcina deque optimatum factione tam perverse a Weissenbornio (ad Livium 21,2,4) existimatum fuisset: qui Weissenbornius non dubitavit affirmare Polybium negare has duas Cartaginiensium partes unquam fuisse (« nur Polyb. erkennt diese Parteiverhältnisse nicht an. », ait ille). Sane Polybius illarum partium mentionem hic non iniecit: sed quare, perspici facile posse existimo: namque Polybius res tam graves non habuit in more obiter tantummodo attingere, verum data opera pertractare: de partibus autem civitatis Carthaginiensium plenius disserere huius non erat loci, quum res in Hispania, in Illyria, in Gallia, denique in Graecia gestas in hoc historiarum libro exponere constituisset. (Itaque narrat 2,1 perpauca de rebus ab Hamilcare in Hispania gestis. 2,2-12 res Illyriae et Graeciae. 2,13 pauca de rebus ab Hasdrubale ibidem gestis. 2,14-35 res Galliae. 2,36 perpauca de Hasdrubale occiso deque Hannibale in eius locum duce facto. 2,37-71 res Graeciae

« delatus imperatorque ingenti omnium clamore at- « que adsensu appellatus erat... (1) favor plebis seque- « batur. » His verbis respondent quidem verba Polyb. 2, 36, 6. τὴν δὲ στρατηγίαν οἱ Καρχηδόνιοι τῶν κατὰ τὴν Ἰβηρίαν Ἀννίβᾳ περιέθεσαν, ὄντι νέῳ, διά τὴν ὑποφαινομένην ἐκ τῶν πράξεων ἀγχίνοιαν αὐτοῦ καί τόλμαν. », sed quae sequuntur apud Pol., respondent principio cap. 5 Titi Livi. In cap. autem 5 bella Hannibalis contro Olcades, Vaccaeos et Carpetanos continentur. Monebam nuper Liv. cum Pol. adeo hic consentire, ut eum vertisse videri posset. Quod etiam de Liv. 21,18,8-21,19,6 dicendum est, nimirum de 21,18,8-11 a verbis inde *a C. Lutatio consule* (Pol 3,21,1-2), de 21,8,12 (cf. Pol. 3,33,2-4), de 21,19,1-2 (cf. Pol. 3,21,6-7), de 21,19,3-6 (Pol. 2,29,3 seqq.) Haec, utpote nota, explicare non attinet.

XIII. Sed in eo quoque quod pertinet ad notationem temporis, quamdiu Hannibal Carthaginiensium in Hispania dux fuit (a quo scilicet tempore Hamilcari occiso in imperio successit usque ad ann. U. c. DXXXVI), vestigia Polybii ego deprehendi apud Livium. Polyb. enim quum accurate tradat de hibernis Hannibalis, hinc annorum successionem agnoscimus: fuit igitur Hannibal ter in hibernis antequam in Italiam proficisceretur (Polyb. 3,13,7. 3,15,3. 3,33,5) hoc est, quum principio anni U. c. DXXXVI Hispaniam reliquerit, *exeunte anno U. c. DXXXIII*, deinde *exeunte anno DXXXIV, tertio exeunte anno DXXXV.* Idem repperi apud Livium, nisi quod Livius secunda hiberna omittit: siquidem Liv. memorat tan-

(1) Locum corruptum quamquam pluries temptavi, nunquam ipse mihi satisfeci.

tummodo hiberna priora (21,5,4-5), et tertia eademque postrema (21,21,1). Operis Polybiani vestigia haec, quamquam nondum observata, et certa sunt et notatu dignissima.

XIV. Liv. 21, 6,3 seqq. cf. 21, 18. Polybiani operis vestigia denique deprehendi ego apud Livium in eo quod pertinet ad legatos, quos Saguntini Romam ad opem petendam miserunt, item ad legatos quos Romani ad Hannibalem in Hispaniam, atque Carthaginem in Africam miserunt; quamquam primo statim adspectu quae apud Livium occurrunt, ea, valde confusa, ex Polybio neque in Livium existimantur manasse neque in auctorem illum quem hoc loco Livius secutus sit. Res vero paullo longiorem tractationem requirit. Quaestionem de legatis Saguntinorum paucis verbi absolvam: Livius enim consentit cum Polybio, nisi quod Polyb. innuit (3,15,1) a Saguntinis legatos pluries missos fuisse, Livius hoc praetermisit (21,6,2).

Venio ad legatos a Romanis missos. Hoc autem primum omnium quaeritur, *quoties* legati missi fuerint: deinde *quo quique tempore missi fuerint*, tum *quam ob causam*. Perspicue quantum fieri potest narrat Polybius bis legatos missos fuisse a Romanis (3,15,2 seqq. 3,20,6 seqq.). Hoc item tradit Livius: priorem legationem missam ait 21,6,8: alteram 21,18,1: minus tamen hoc apud me ponderis habet, quod Livius bis legatos missos fuisse memorat, quam quod nomina legatorum ipsorum addit: omnium enim certissima ea mihi semper sunt visa quae Romani scriptores, Livius in primis, de legatis tradere consueverunt, *nominibus singulorum legatorum adiectis:* hinc enim efficitur in rerum monumentis servatam fuisse memoriam omnium le-

gationum. (1) Priores legati fuerunt duo: P. Valerius Flaccus et Q. Baebius Thamphilus. Alteri quinque: Q. Fabius, M. Livius, L. Aemilius, C. Licinius, Q. Baebius. Ergo sine ulla dubitatione sic statuo et iudico, in numero legationum Livium cum Polybio summopere consentire, idque *nominibus singulorum legatorum* probari. (2) Ut hoc quoque addam, priorem legationem memorat Appianus *Ib.* XI, alteram *Ib.* XIII.

Ad causas legationum mittendarum transeo. Ut vulgo arbitrantur, Livius in hac re a Polybio dissentire videtur: ut ego me probaturum esse confido, minime dissentit. Siquidem, ut vulgo existimant, causa prioris mittendae his continetur apud Livium verbis: *si non absisteretur bello, ad ducem ipsum in poenam foederis rupti deposcendum* (21,6,8), quae revera causa fuit, sententia Polybii (3,20,8), alterius legationis mittendae. (Et recte omnino Pol.; priores enim

---

(1) Huic meae sententiae non obstat quod Acta Senatus Romani consule demum *C. Julio Caesare* eiusque iussu confici publicarique coeperunt (Svet. *Caes.* 20): namque decreta Senatus etiam ante *Iulium Caesarem* certe perscripta et servata sunt. Unum illud ambigitur utrum ante Caesarem consulem Acta ipsa Senatus fuerint confecta (quod contendit Bekkerus *Röm. Antiquitäten* 1,31. II, 2,445), an non fuerint, ut Suetonius innuit et nonnulli praesertim E. Hübnerus Fleckeisen *Iahrbüch.* Suppl. 3, 564 seqq.) defendunt. Ego sic existimo, etiam ante Caesarem multa alia praeter decreta servata fuisse: orationes non existimo, si quas apud Livium Senatores habent; saepe oratores ipsi ediderunt. Sed sententiae Senatorum quî innotuissent (cf Liv. 3,39. 21,6. 26,8. 30,23 etc. passim), nisi publice perscriptae et servatae, etiam ante Caesarem, fuissent?

(2) Nomina omittit Polybius: prospexit enim, in scribendis historiis, Graecis suis civibus harum rerum incuriosis. At Romani summopere cupiebant maiores quisque suos, honoribus quibuscumque perfunctos, diserte nominari.

legati tum missi fuerunt quum Hannibale aggressurus sane esset Saguntum, sed nondum aggressus; qui Hannibal esset igitur foederum admonendus, non in poenam deposcendus rupti foederis, quum foedus nondum ruptum esset). Ego vero, quamquam priores legatos missos Livius exponit 21,6,8, alteros 21,18,1 seqq., sic tamen iudico utriusque legationis causas extare apud Livium in uno loco 21, 6. Siquidem ait Livius 21,6 : « cum legatis in senatum introductis de re « publica retulissent, placuissetque mitti legatos in « Hispaniam ad res sociorum inspiciendas, quibus, si « videretur digna causa, et *Hannibali denuntiarent*, « *ut ab Saguntinis, sociis populi Romani, abstineret*, « *et Carthaginem in Africam traicerent ac sociorum* « *populi Romani querimonias deferrent* — hac legatione decreta necdum missa, omnium spe celerius « Saguntum oppugnari adlatum est. Tunc relata de integro res ad Senatum .... legatique eo maturius « missi, P. Valerius Flaccus et Q. Baebius Tamphilus, « Saguntum ad Hannibalem atque inde Carthaginem, « *si non absisteretur bello ad ducem ipsum in* « *poenam foederis rupti deposcendum.* » Confer cum verbis Livii, quae ante signavi, Pol. 3,15,5; cum verbis Livi quae postea signavi Pol. 3,20,8, et videbis causas utriusque legationis mittendae utrumque historicum easdem afferre. (1) In hoc autem fallitur Livius, quod, quae causa fuit prioris legationis *missae*, eam credit fuisse legationis cuiusdam *decretae* quidem, sed non *missae*: quo errore semel admisso alius insuper necessario consecutus est error, ut nimirum

(1) Causam prioris habes et apud Appianum *Ib.* XI. Alterius apud App. *Ib.* XIII, Dionem Cassium (fragm. 55,9 ed Dind), et Zonar. VIII, 22.

quae revera causa extitit alterius legationis mittendae, eam existimaret prioris fuisse. Qua statuta sententia, quam probaturus nunc sum, illud efficitur in causis quoque ipsis legationum Pol. vestigia apud Liv. certa deprehendi.

Restat ut explicemus quî factum sit ut Livius in priorem illum errorem laberetur. Inter Romanos (quibus de causis postea docebo) nihil certi constabat de tempore quo Saguntum oppugnatum est ab Hannibale. Quamobrem, bellum secundum Punicum quum initum fuisset anno u. c. DXXXVI, Livius, quum eius auctor non tradidisset quo tempore legati Saguntinorum Romam venissent, perperam ipse arbitratus est eos venisse ineunte anno hoc ipso; idque eo facilius arbitratus est, quod in more Romanorum illud positum erat, ut exterarum gentium legati in Senatum introducerentur ineunte anno, nimirum postquam novi consules Magistratum inissent. Addidit igitur, (de suo ut pro certo affirmare audeo): *Consules tunc Romae erant P. Cornelius Scipio et Ti. Sempronius Longus* (21,6,3). De suo, dico: negat enim paullo post (21,15) hanc ipsam notationem temporis recte sese habere, et tamen neminem ut erroris auctorem redarguit. Hoc autem praemisso, cetera iam plana erunt. Siquidem, oppugnatione Sagunti in annum DXXXVI perperam illata, sibi constans Livius existimavit legatos Saguntinorum venisse eo ipso anno, item, eo ipso anno necessario missam fuisse utramque legationem Romanorum: in difficultatem vero incidit Livius propterea quod vix ac ne vix quidem unius spatio anni potuissent tot res fieri: nimirum legati Saguntin. Romam venire, tum priores legati Romanorum in Hispaniam et in Africam ire rursusque Romam re-

dire, praeterea legati alteri Romanorum Carthaginem proficisci indeque reverti, denique Romani cum Carthaginiensibus ad Ticinum atque ad Trebiam dimicare. Huic difficultati ut mederetur Livius illud est adductus, ut crederet priorem Romanorum legationem decretam quidem fuisse, non vero missam.

Curnam deinde Livius post narratam in capite 6, duce historico quodam Polybium secuto, utramque legationem Romanorum, alteram denuo legationem commemorarit 21,18, facile perspici potest. Postea enim Livius quum forte incidisset in nomina quinque legatorum, quos ipse nondum nominaverat; eorum mentionem fecit. Quamquam iusto serius fecit: vide enim in quae sit lapsus: siquidem postquam senatus et populus Romanus bellum contra Carthaginienses iam decrevissent, et copias consules in id bellum inter se divisissent, alter eorum cum Hannibale in Hispania conflicturus, alter in Africam iturus, (1) (Liv. 21,17) legati etiam tum mittuntur quinque, acturi scilicet cum Carthaginiensibus ut bellum vitaretur atque pax firmaretur!! E contrario recte omnino apud Zonaram (VIII, 23) provinciae consulibus adsignantur post bellum Carthagini demum indictum (VIII, 22) quem ad modum et apud Dionem Cassium, quem Zonaras sequitur, certe traditum fuit, etsi ex fragmentis nihil iam colligere licet. Ante caput 17 Livii igitur, si ordinem rerum spectemus, locum obtinere debuit caput 18. In aliud quoque mendum est lapsus Livius: narraturus enim legationem alteram Roman. veritus est causam mittendi integre afferre, ne videlicet

(1) De hac re disputavi nuper in capite primo dissertationis cui titulus « Tentativo di critica sui luoghi Liviani » in Actis Acad. Lynceorum 1881.

repeteret quod in cap. sexto scripserat: itaque scripsit in cap. 18 « legatos... mittunt ad percunctandos Car« thaginienses, publicone consilio Hannibal Sagun« tum expugnasset, et, si, id quod facturi videban« tur, faterentur ac defenderent publico consilio « factum, *ut indicerent populo Carthaginiensi bel« lum;* » quum scribendum esset hoc fere modo; *ut de« poscerent ducem ipsum in poenam foederis rupti, « isque nisi dederetur, ut indicerent populo Car« thaginiensi bellum.* »

Tenes 1° in causis legationum mittendarum Polybium et Livium apprime inter se concinere; 2° quum Livius de legationibus bis agat 21,6. 21,18., in priore loco Polybii vestigia extare, sed in altero non extare; 3° quî factum sit ut bis de legatis ageret Livius et nonnulla non ita recte tradiderit.

De tempore nunc superesset dicendum, quo missi sunt legati; sed quum omnis temporis notatio, una excepta quam de suo Livium addidisse modo docui, in hoc genere apud Patavinum desideretur (cuius in rei causas mox inquiremus), restat ut, missa quaestione ista ex qua nihil admodum efficeretur, statuamus vestigia Polybii comparere apud Liv. 21,6, idque probari consensione qua inter se Pol. et Liv. in numero atque in causis legationum contineri hactenus demonstravimus, quum temporis ratio, quae nulla apud Livium est, non prohibeat quominus hanc a nobis statutam sententiam, quam ipsa neque confirmat neque infirmat, rationem habere arbitremur.

Vestigia igitur Pol., extant apud Liv. 21,6. Haec autem est causa cur in referendis consiliis de bello aut aliqua interposita aut nulla interposita mora Carthaginiensibus indicendo, Liv. brevior extiterit quam Dio Cassius (fragm. 55,9 ed. Dind. 1, p. 88) et Zon. (VIII, 22

ed. Dind. 2,236 seqq.): namque apud utrumque, Dionem aio et Zonar., legimus in Senatu perorasse L. Cornelium Lentulum in unam sententiam, Q. Fabium Maximum in alteram, quae omnia apud Liv. desiderantur. Certe ea derivavit Dio ex Fabio Pictore qui talia sine dubio diligenter est persecutus (Zonar. ex Dione). At Liv. ea deduxit ex auctore, ut mox explicabo, qui Polybium est secutus.

XV. Vestigia igitur Polybii apud Livium, praeter 21,5; 18,8-19,6, deprehendimus 21,1. 2. 6. Quaeritur iam unde ea sint repetenda. In duobus illis locis adeo consentit Livius cum Polybio, ut eum vertisse multis visus sit. Alii rectius negarunt, argumentis tamen neque ipsi satis bonis nisi sunt, neque, ubi ipsi aliquid certi statuere aggressi sunt, ulla in medium attulerunt, quae similia viderentur veri.

Ego autem sic existimo: quum apud Pol. res dissipatae occurrant, cordatiores quî possint credere scriptorem operis prope immensi Livium pervolutando Polybium ea hinc atque illinc patienter collegisse, quae deinde oratione continua exponeret? Alterum addo. Cui Pol. auctor fuit, clarius et rectius multo commemoraverit legationes Romanorum oportet, quam Livius fecit. Tertium addo: in verbis et locutionibus Liv. cum Pol., si eum secutus esset, magis congrueret; ille enim si quando Polybio est usus, ad verbum paene de eo convertit. (Sic 21, 21 seqq. Sic in libro 22. Sic in quarta et quinta decade): quodsi semel (Liv. 21, 5. Pol. 3, 13-14) ad verbum vere inter se congruunt, cave arbitrere alterum ab altero mutuatum fuisse; statue enim Liv. 21, 5 Pol. 3, 13-14 verterit; curnam, interrogo, utroque historico a bellis Hannibalis contra Olcades, Vaccaeos et Carpetanos transeunte ad legationes Saguntinorum et Romanorum (Liv. 21, 6.

Pol. 3, 15), Livius e manibus optimum auctorem hic dimisisset?

Ergo Liv. 21, 1-20 Pol. non est secutus. Restant cetera et difficiliora, quum illi qui negant alterum ab altero mutuatum esse, statuant, perperam ut mihi videtur, utrumque historicum eosdem auctores secutum fuisse hinc autem vestigia Pol. apud Liv. 21, 1-20 esse repetenda. Perperam: iam causas belli Punici secundi, quas quidem et Pol. et Liv. exponunt, nemo ante Pol. attulit, uti supra demonstratum est (§ X): qua statuta sententia, sit ea modo stabilis, horum alterum sequitur, Livium sua aut derivasse ex Polybio, aut ex auctore qui Pol. secutus sit. — A causis belli (Liv. 21, 1) gradum facio ad Liv. 21, 2. Monebam (supra § XI) plenissime veteres historicos, illorum temporum aequales, res ab Hamilcare et Hasdrubale in Hispania gestas litteris consignasse, ut patet ex Diodoro qui eas (25, 14) diligentius persequitur. Quae quum ita sint, reputa, quaeso, haec: eadem fere et Pol et Liv. habent: nunc censesne fieri potuisse, ut ex multis quae apud multos illos veteres scriptores tradebantur, et Pol. et Liv. pauca eademque eligerent, item multa eademque relinquerent? Furit profecto qui tam miras sententias non veretur in historiam litterarum invehere.

XVI. Patiare autem me hic aliquantisper a proposito recedere ut de iis quae Diodorus tradit pauca moneam. Minus enim quam primo statim adspectu videtur abhorrent ea, quae de morte Hamilcaris Diodorus tradit, ab iis quae ceteri tradunt historici. Praeterquam quod apud Polyb., Liv., App., Zonar., mors Hamilcaris narratur non modo a Diodoro sed etiam a Iustino atque Cornelio Nepote. Omnium brevissime autem Livius 21, 2, 3 ait: « Mors Hamilcaris »: ne illo quidem addito, quo tandem mortis

genere obiisset: nisi quod multo serius addidit per occasionem nonnulla 24, 44,3 scribens: « ad Castrum « album..... locus est insignis caede magni Hamil- « caris. » Pugnantem periisse Hamilcarem colligimus cum ex Polybio (2, 1, 8), tum etiam ex Appiano (Hann. 2): ceterum isti omnes nihil adiciunt. Sed Diodorus (25, 14) nonnulla praeterea habet: Hamilcarem, dum urbem Helicem Ἑλικὴν (de hac urbe, quae nulla unquam fuit, multi multa somniarunt. Vide in notis ad Diodorum, si quae in editionibus huius historici extant: mox dicam quaenam urbs sit intelligenda) obsideret, superatum fraude et insidiis fuisse a quodam Hispaniae rege, cumque is rex eum insequeretur, in flumine quodam vitam amisisse. Cum Diodoro consentit Iustinus (44, 5, 4), scribens: « *in insidias deductus* occiditur ». Mira narrat de hisce insidiis Appianus (*Ib.* 5). Denique Cornelius Nepos (*Hamilc.* 4,2) commemorat nationem in quam pugnans Hamilcar occisus fuit: Vettonum erat natio. Minime igitur discrepant inter se auctores in morte Hamilcaris tradenda, etsi alius alia narrat, minime. — Nunc dicam de urbe illa. Miror autem nemini unquam haec perspecta fuisse: Vettones incolebant regionem quae est inter Durium et Tagum flumina (hodie *Estremadura*) montuosam illam, pecorum feracem. Caput nationis *Salmantica* erat sive *Hermantica* (Liv. 21, 5, 7) graece Ἑλμαντική, (Pol. 3, 14, 3), hodie *Salamanca*. Quum igitur constet in Vettones pugnantem Hamilcarem occisum fuisse, cuius caput gentis erat Ἑλμαντική quidnam censeamus nisi apud Diodorum iam legendum esse non Ἑλική sed Ἑλ(μαντ)ική?

Neque vero, ut ad nostrum auctorem redeam, discrepant in eo in quo Weissenbornius censet (ad Liv. XXI, 2, 4) Diodorus et Livius. Ait enim Weissen-

bornius Hasdrubalem vocari apud Livium *generum* Hamilcaris (Liv. XXI, 2, 4), quum Diodorus tradat Hasdrubalem uxorem filiam regis Hiberi duxisse. Siquidem paucis ante verbis Diodorus ipse non minus quam Livius γαμβρόν Hamilcaris appellat Hasdrubalem. Quid est igitur statuendum? Istud ni fallor: Hasdrubalem duas minimum uxores duxisse, sive id fecit priore iam mortua, sive etiam priore etiamtum viva.

XVII. Negavimus Livium a Polybio, negavimus utrumque ab iisdem auctoribus mutuatum sua fuisse. Quaeritur unde vestigia illa Pol. apud Liv. 21,1-20 revera sint repetenda. In unaquaque de fontibus Romanorum historicorum quaestione a singulari quodam Romanorum instituto initium faciendum puto, a quo in huiusmodi disputationibus nemo quantum memini orsus est. Ordiendum nimirum a pristino antiquissimoque fonte rerum Romanarum omnium, ab illo scilicet instituto quod novam eandemque solemnem historiae conscribendae rationem apud Romanos peperit; ita enim nova omnino lux toti nostrae quaestioni admovebitur.

Namque apud antiquos Romanos erat in officii parte Pontificis Maximi res universas domi forisque terra marisque gestas, quae quidem dignae essent memoratu, per singulos dies in tabula dealbata quotannis notare, quam tabulam domi Pontifex proponebat, potestas ut esset populo cognoscendi. Qui mos usque ad P. Mucium Pontificem Maximum permansit, quo tempore commentarii isti annui, in octoginta libros digesti, *Annales Maximi* fuerunt nominati (Cicer, *de orat.* 2,12,52. Servius *ad Aen.* 1,377). Res notatu certe dignissima: quum enim per quinque saecula post U. c. historicus nullus Romae prove-

nisset (primus apud Romanos instituit historiam scribere Fabius Pictor), tamdiu unum monumentun Romae rerum gestarum fuit Tabula haec a Pontifice Maximo publice conscripta, ex qua tabula, quod quanti sit momenti neminem fugiet, Romani postea annalium scriptores cum rerum notitiam mutuati sunt, tum etiam rationem rerum gestarum per annos digerendarum derivarunt; immo haec ratio non modo apud Romanos diu obtinuit (1), sed etiam Medio quod vocant Aevo saepe adhibita est.

Rerum externarum nunc quaeritur, ut ad argumentum statim veniam, quomodo et unde Romani notitiam adipiscerentur, quam publice conscribi in Albo Pont. Maximi iuberent. Responsum in promptu est, quamquam quaestionem nemo adhuc intulit. Externi populi aut in dicionem Romanorum iam redacti erant, aut nondum erant: illis imperitabant Magistratus Romani quotannis ad illos missi, penes quos cum cetera erant, tum etiam docere Senatum status rerum qualis esset in quaque provincia: ex Magistratuum litteris necessario Pontifex Maximus ea sumpsit quae

---

(1) Si disciplinam historiae apud Romanos conscribendae temporibus distinguere velis, statuas igitur ita: ante Fabium Pictorem aequalem aetati belli Hannibalici erat Romae, et quidem publice facta, hoc est munere Pontifici Maximo delato, notatio quaedam rerum gestarum: praeterea nulla, quantum scimus. A Fabio inde Pictore usque ad Pontificem Maximum P. Mucium (is Pontifex Max. fuit anno fere U. c. DCXL) fuerunt, praeter eam notationem publice confectam, annalium quoque scriptores. Sequitur tertia aetas qua nulla iam fuit publice confecta notatio, sed soli scriptores res narrarunt: namque Latinis litteris iam pridem florentibus, Romanisque magis in dies studio rerum gestarum litteris mandandarum accensis, supervacaneum iam visum est annales reipublicae iussu continuari, qui ideo confici desierunt.

in Tabula sua notaret. Quo tamen adiumento caruit Pontifex ad populos neque a Romanis subactos neque a Mag. Rom. coercitos quod attinet, nisi forte vel legati ad eos mitterentur, qui memoratu digna referrent, vel Imperatores Romani, si quando cum aliquo populo bellum gereretur, nuntiarent quae de hostibus sibi comperta essent. Quid nunc? res potissimum externae commemorantur apud Liv. 21,1-20, scilicet Hamilcaris, Hasdrubalis atque Hannibalis in Hispania res gestae: Hispania autem in Romanorum potestatem nondum redacta, rem duces tres illi Carthaginiensium gesserunt cum solis Hispaniae populis, quum Romani, qui illa tempestate bella ex bellis serendo occupati erant in Illyriis, Histris, Gallisque domandis, Hispania armis abstinere coacti sint, foedere tantummodo cum Hasdrubale icto, quo Carthaginienses vetiti sunt ultra Hiberum amnem progredi; adeo ut res, a Carthaginiensibus eo temporis tractu quod inter primum et secundum bellum Punicum effluxit in Hispania gestas, Romani neque nisi perraro resciscerent, neque in Albo Pontificis Maximi notari iuberent. Quae si recte disputavi, neque fons Romanarum rerum ille publicus res istas est complexus, neque eas ex eo derivarunt historici Romani, quamquam reliquas fere omnes, uti modo innuebam, ab eo ipso sunt mutuati.

XVIII. Ad tantum istud discrimen, quod in vetustissimo rerum fonte intercedere mihi videtur inter reliquas partes operis Liviani et locum 21,1-20, nemo advertit animum, te vero vehementer cupio advertere: nec facit quod Livius Annalibus Maximis ipse fortasse non sit usus; hoc enim est, quod teneri volo: omnia fere quae opere Liviano continentur manasse ex Monumentis rerum Romae publice conscriptis, hoc est ex Annalibus Maximis (sive Livius quoque ipse,

sive eius tantummodo auctores iis sunt usi), sed res ab Hamilc., Hasdrub. et Hannib. in Hispania gestas atque apud Liv. 21,1 20 narratas, ex iis non manasse. Quam meam opinionem complura confirmant.

Consideranti enim mihi rationem operis Liviani, in quo nimirum, nexu inter se rerum et quasi cognatione posthabita temporisque ordine tantummodo servato, res per singulos annos sunt digestae, semper visum est opus istud imaginem quandam, mirifice scilicet perpolitam, sed tamen imaginem Tabulae praebere, Romae usque ad Mucium Pontificem Maximum publice conscriptae: item praebuisse visi sunt omnium ante Livium historicorum Annales, ad quorum imitationem Noster in rebus in annos distribuendis se accomodavit. Itaque rude exemplar illud vetustissimum cum referebant *Annales* nunc deperditi reliquorum historicorum, tum referunt libri ab Urbe condita Titi Livi : idque non modo in ratione rerum disponendarum, sed etiam magna ex parte in rebus ipsis. Quae quum ita sint, si quae apud Livium omnino desunt, defuerint necesse est et apud reliquos annalium scriptores, et in Annalibus Maximis. (Non contra, quae apud Annalium scriptores fuerint, ea omnia fuisse in Annalibus Maximis, quum multa aliunde praeterquam quod ex Annalibus Max. scriptores sumserint): versaque vice quae defuisse videntur in Annalibus Maximis ea necessario defuisse et apud reliquos Annalium scriptores, et deesse apud Livium debere. Aiebam autem res Hamilc., Hasdrub. atque Hannib. in Hispania gestas in Tabula Pont. Max. notatas non fuisse ; cur igitur eae narrantur a Livio 21,1-20? Haec prima specie repugnantia, non modo non repugnant inter se, sed potius omnia reliqua plana faciunt. Res enim illas si ex Annal. Max. sumptas narrasset

Livius, eas narrasset non in principio tertiae decadis, verum in postremis secundae decadis libris, quum eae in tempus incidissent quod fuit inter primum et secundum bellum Punicum (ab anno U. c. circiter DXVIII usque ad DXXXV), tertia autem decas incipiat a bello punico secundo, cuius initium fuit anno DXXXVI. Nego vero Livium eas narrasse in postremis libris secundae decadis, quamquam libri ipsi perierunt; negoque tribus de causis: primum quod in Periochis librorum ipsorum nullum est verbum, quod quidem ad illas res pertineat; deinde quod historici minores Romani, qui ex Livio sua habent, non ante ad res Hispaniae transeunt, quam narrando pervenerint ad anno DXXXVI; tertio denique quod eas cum Livius narret in principio tertiae decadis, has ipsas non narrasse inde efficitur in libris qui praecedebant. Noli autem credere, ad postremum hoc quod attinet, Livium eas breviter tantummodo repetivisse in principio tertiae decadis postquam fusius illas ipsas exposuisset in secunda decade: equidem concedo decere historicum, antequam ingens bellum describere aggrediatur, praemittere quae cum bello sunt coniuncta, concedoque res gestas ducum Carthaginiensium in Hispania bellum secundum Punicum quodammodo peperisse, easque summatim memoraturum fuisse Livium etiamsi antea de iis plenius egissèt; sed nego Livium hic esse summatim complexum descripta a se uberius antea, quum bella Hannibalis contra Olcades, Vaccaeos et Carpetanos, Livius 21,5 non summatim attingat sed diligentissime persequatur.

Quibus omnibus disputatis iudico et statuo illas reliquasque omnes Hispaniae res in secunda decade omisisse Livium, item omisisse Annalium ante eum scriptores, scilicet quia in Annalibus Maximis

nullae extarent. (1) Intelliges hinc quid causae sit cur Dio quoque Cassius atque Zonaras res illas ut plurimum omiserint: Dio enim antiquis Annalium scriptoribus Romanis, fortasse Fabio Pictore, usus est (Zonar. autem Dione), qui Annalium scriptores eas reliquerant, si unum excipias Sagunti excidium et fatum, celebrius illud quam ut silentio praeteriri posset: de cuius tamen excidii tempore, ob id ipsum quod in Tabula Pontificis nullum notatum esset, nihil unquam certi apud Romanos constitit, apud quos ob hanc rem pervulgata falsa opinio fuit duo haec in annum incidisse ipsum quo bellum Pun. secundum est initum: et oppugnationem Sagunti, et legationem utramque Romanorum (Liv. 21,6,3: « Consules tunc Romae erant P. Cornelius Scipio et Ti. Sempronius Longus » cf. 21,15,4); quae fuit causa cur legati priores, contra quod Polybius tradit, et revera fuit, (2) dicerentur pervenisse in Hispaniam Hannibale Saguntum iam diu oppugnante (Cicero Phil. 5,10,27. Liv. 21,9,3 seqq. Appian. *Ib.* XI Zonar. 8,21). Illud quo-

---

(1) Quum Romani ante annum U. c, DXXXVI legiones nullas in Hispaniam misissent, desiderata est in Annalibus Maximis, item in historiis Romanorum Liviique opere notitia rerum in Hispania ante annum illum gestarum. Sed ab illo inde anno, dimicantibus ibi Romanis, Hispaniae historia facta est Romana historia, quam exaratam a Pontifice Maximo retulerunt in sua opera scriptores: unde factum est ut ab illo inde anno Livius quotannis res ibi gestas descripserit: cf. Liv. 21,60 seqq. (ann. DXXXVI) 22,19 seqq. (ann. DXXXVII) 23,26 seqq. (ann. DXXXVIII) 23,48,4 seqq. (ann. DXXXIX) etc.

(2) Priores legati accesserunt Carthaginem Novam exeunte anno U. c. DXXXIV, Hannibale ibi hiberna agente, ex quibus hibernis egressus Saguntum adortus est: Polyb. 3,15,3. Sagunti oppugnatio anno igitur DXXXV facta est. Alteri legati Carthaginem Novam venerunt exeunte anno DXXXV, Sagunto exciso: Polyb. 3,20,8.

que hinc factum est ut Livius quo anno foedus Romani cum Hasdrubale icerint non tradiderit (Liv. 21,2,7). — Nunc porro pergam quaerere quam ob causam et quo auctore Livius, postquam, ducibus Annalium scriptoribus Romanis, res gestas Carthaginiensium in Hispania suo et loco et tempore silentio transmisisset, eas ipsas serius, bellum Punicum secundum videlicet descripturus, arrepta occasione literis consignaverit.

XIX. Aberant iam diu litteris Latinis res illae, neque notatae in Tabula Pontificis neque commemoratae ab Annalium scriptoribus, quum extitit auctor Romanus quidam, qui eas ex litteris Graecis sumptas, (res Hamilcaris et Hasbrubalis diligentissime persecuti sunt veteres scriptores: multa enim de iisdem tradit Diodorus 25,14. (1) Res Hannibalis item: *multos* ait provenisse scriptores rerum Hannibalis Corn. Nep. *Hann.* 13,3, nominatim Silenum et Sosilum » etc. De Sileno cf. praeterea Ciceron. *de divin*, 1,24,49. De Sosilo, cf. Diodor. 9,36,5. Polyb. 3,20,5), Latinis tandem litteris mandavit, quo auctore Livius sit usus. Qui tamen auctor ea potius videtur summatim complexus fuisse in prooemio operis sui, quam tanquam partem operis sui diffuse copioseque descripsisse: temporum enim ordo necessario desiderabatur apud eum, quum desideretur etiam apud Livium: rursus, si auctor hic universas Romanorum res narrasset, ista Hispanica suo

---

(1) Diodorum ea sumpsisse ex fontibus non Romanis apertum est, neque enim Romani scriptores ea paulo diligentius persecuti sunt. Maius quiddam accedit: etsi enim tam multa sicuti de Hamilcare ita de Hasdrubale habet, omittit tamen Diodorus foedus quod Hasdrubal cum Romanis icerat, id quod Romanum auctorem facturum fuisse adduci vix possum ut arbitrer.

tempore exposuisset nec tam plene postea de bellis Hannibalis contra Olcades Vaccaeos et Carpetanos dixisset. Videtur igitur auctor hic descripsisse bellum punicum secundum, prooemio praemisso, in quo de rebus in Hispania a ducibus Carthaginiensium gestis breviter egerit, ut lectori scilicet satisfaceret, qui ante res per bellum ipsum gestas aequo iure de consiliis et origine tanti belli aliquid significari volebat: nonne res illae in Hispania gestae secundum bellum punicum genuerunt? Et revera quum in principio decadis tertiae Livianae lego ista: « In parte operis mei licet mihi praefari, « *quod in principio summae totius professi ple-* « *rique sunt rerum scriptores*, bellum maxime « omnium memorabile » etc. etc. sentio significari scriptorem non rerum Romanarum omnium, sed secundi belli Punici.

Iste autem Romanus, historiae de bello secundo punico scriptae auctor quis fuerit facile est inventu: unus omnium, quantum scimus, reliquit apud Romanos opus cuius argumentum erat bellum Punicum secundum, L. Coelius Antipater, prooemio quoque praemisso (cf. Cicero *Orat.* 69,230: « quod se *L.* « *Caelius Antipater in prooemio belli punici* nisi « necessario facturum negat. » Id est *secundi belli punici*; in una enim *tertia* decade Coelio usus est Livius). Praeterea unum omnium maxime L. Coelium Antipatrum citat nomine Livius per omnem tertiam decadem, (undecies 21,38. 21,46. 21,47. 22,31. 23,6. 26,11, 27,27. 28,46. 29,25. 29,27. 29,35. Valerium Antiatem octies, semel Cincium Alimentum, Fabium Pictorem, Claudium, Pisonem, Silenum, Clodium Licinum, Polybium. Saepe autem eundem Coelium intelligi ubi Livius non adiecto nomine hi-

storicos citat auctores, minime est dubium. Accedunt alia non minoris momenti: Coelius enim non modo bellum Punicum secundum descripserat, sed quum facunde, tum etiam diligenter absolverat: diligenter, quippe qui Silenum, familiarem Hannibalis, eundemque scriptorem eius rerum gestarum, licet externum hominem non respuerit (Cicer *de divinat* 1,24,49 « hoc « item in Sileni, *quem Caelius sequitur*, graeca « historia est) : » facunde ; ut conceptissimis tradit Cicero verbis quotiescumque in eum incidit (*de leg.* 1,2,6 « paulo inflavit vehementius habuitque vires « agrestes » *de orat.* 2,12,54 « addidit historiae « maiorem sonum vocis. » *Brut.* 26,102 « L. Cae- « lius Antipater scriptor ...... fuit ut temporibus « illis luculentus » etc.) ; ut cetera veterum cum Ciceronis consentientia testimonia praetercam. Quid mirum si Livius tam bonum auctorem, sibique tam necessarium secutus est? Postremo, quod maximi est momenti, quodque contraria et repugnantia illa de Polybio adhibito simul et non adhibito a nobis statuta optime explanat, tandem perspicuum erit quid sit cur res eaedem a Polybio atque a Livio eodem ordine narrentur et tamen Livius eas ex Polybios umpsisse non videatur dicendus: itaque existimo non modo Livium ex Coelio sua derivasse sed etiam, quod nemini adhuc quantum scio in mentem venit, Caelium ex Polybio. Neque obstat temporis ratio. Scripsit enim opus suum Coelius post mortem C. Gracchi, quum idem, teste Valerio Maximo, de C. Graccho tamquam mortuo sit locutus (Val. Max. 1,7,6 : « Caelius etiam, certus Romanae historiae « auctor, sermonem de ea re ad suas aures *illo* « *adhuc vivo* pervenisse scribit. » Sermo est de somnio quodam C. Gracchi, de quo Cicero *de divin.*

1,26,56 : « C. Gracchus multis dixit, ut scriptum « apud eundem Caelium est, sibi in somniis .... « fratrem visum esse .... hoc antequam tribu- « nus pl. G. Gracchus factus esset et se audisse « scribit Caelius et illum dixisse multis.) »; floruitque igitur Antipater mortuo Polybio eiusque historiis omnibus iam notis : nil mirum si iis usus est, praesertim quum historicus Graecus tantus vir esset, quumque Coelius bonos auctores quamvis non Romanos adamaret. Illud quidem prima specie obstat, quod Cicero scribit res Coelium ex Sileno sumpsisse, non ex Polybio : sed prima tantummodo specie.

Equidem concedo Coelium habuisse in manibus Sileni opus; sed cur non etiam Polybii opus, novissimi auctoris et tantae personae viri? Adde quod Silenus res quidem Hannibalis est persecutus, sed non res Hamilcaris atque Hasdrubalis; in quorum igitur rebus narrandis Silenum non est profecto Coelius secutus. Sed ne in bellis quidem describendis, quae Hannibal contro Olcades, Vaccaeos et Carpetanos gessit, illum mihi videtur secutus esse : statue enim Coelius usus fuerit Sileno, Polybius vel eodem Sileno vel Sosilo vel quocumque alio; an censes fieri potuisse, ut ex multis, quae Sosilus Silenusque tradiderant, Polybius et Coelius eadem sumerent; sumpta deinde adeo in eundem rerum ordinem digererent, ut, postquam Livius secutus fuerit Coelium, Polybius et Livius non modo in rebus inter se consentirent, sed in ordine ipso rerum narratarum congruerent? Nemo id censebit, qui quidem absurda sectari nolit. Itaque iudico Livium 21,1-20 hausisse ex prooemio operis Coeliani, Coelium autem, *quatenus vestigia Polybii apud Livium deprchenduntur*, ex historiis Polybii; donec Patavinus, a Coelio ipso fortasse

admonitus, (is Polybii mentionem forsitan iniecit) ipsum Polybium 21,21 sequi coepit, a quo inde capite quum vestigia Polybii apud Livium perpetua fiunt, tum in utroque historico res non modo eaedem traduntur, sed, quod maius est, idem rerum narratarum ordo apparet. Novam autem ex Polybii lectione profectam atque a Livio ipso in suum opus invectam rationem in eo vel maxime deprehendes, quod Noster, quum antea 21, 6. perperam significasset se in rebus tradendis annum iam DXXXVI fuisse ingressum, nunc, neglecto quod affirmaverat, rursus narrationem in capite 21, Polybii vestigia premens, ab hibernis quae Hannibal postrema in Hispania egit, orditur.

AD LIVIUM 23, 17, 7

CAPUT X.

I. Locus in codicibus sic corruptus legitur : « Hannibal Acerris direptis atque incensis, quum a Ca- « sino dictatorem Romanum *legionesque nimis accipi* « *nuntiassent,* ne quis tam propinquis hostium castris « Capuae quoque *orerecurrunt,* exercitum ad Casi- « linum ducit. »

Mente bifariam loco diviso, videamus ante omnia quid viri docti sint adhuc commenti. Ad priorem loci partem quod attinet, in diversas prorsus sententias abeunt interpretes: olim enim Valla coniecit *legionesque novas acciri,* Lipsius vero *legionesque eminus aspici,* alii alia minus notatu digna, quae, si cui libeat, inveniet curiose collecta apud Drakenborchium (ed. Liv.); donec Madvigius nuperrime (Emend. Liv. ed. alt. 319) censuit legendum *legionesque venire Numidae citi nuntiassent.* Quae omnia, ut mox explicabo, mihi perperam excogitata videntur. — Ad postremam loci partem quod attinet minus discrepant inter se interpretes, quamquam ne hoc

quidem tanti est momenti quanti prima fronte fortasse existimaveris. Summopere autem inter ceteras placuerunt Gronovii emendationes, qui Gronovius primum coniecerat: *ne quis tam propinquis hostium castris Capuae quoque oreretur motus*, postea vero praetulit: *ne quid tam propinquis hostium castris Capuae quoque moveretur*. Priorem illam Gronovii coniecturam secutus est ex recentioribus Weissenbornius in editione operis liviani; nisi quod pro eo quod est *motus*, maluit *terror*: alteram eiusdem Gronovii coniecturam quum Bekkerus amplexus est, tum etiam Madvigius (ib.) retinet.

II. Omnes procul a veritate aberrasse mihi videntur qui restituendis Livii verbis curas adhuc impenderunt. Neque tamen omnium commenta singillatim aestimare et refutare aut in animo aut necesse est: quid enim, si maxime id persequendo recreaturum me esse lectorem arbitrarer (quod longe aliter est), haberet utilitatis haec disceptatio? Etenim sic iudico: aut mea ipsius commenta emendationesque rationem habent aut non habent: si habent, re, non verbis inanibus quaestio meo iam arbitratu erit diiudicata, sponteque sua concident aliorum sententiae; sin minus, frustra aeque ac turpit r contendissem verbis quod deinceps re nequiverim praestare. Satis sit igitur de alienis me commentis in universum tantummodo sic dicere, ea rem non admodum illustrare, utque aliud propius alio ad codicum scripturam accedat, nullum tamen eam lucem loco liviano admovere, ut omnino in eo tamquam in vera genuinaque lectione acquiescendum esse intelligamus. Cuius rei etiam causa in promptu est: namque in emendando historiae Romanae amplissimo auctore opus est ante omnia plena historiae Roma-

nae notitia, neque ante coniecturis indulgendum, quam omnibus penitus haustis quae a Nostro ceterisque rerum gestarum scriptoribus traduntur, ad ea lectionem, quam optimi codices exhibent, exegeris: illud autem primum nusquam ea diligentia factum video quanta in rebus tantis necessaria videtur, quamquam taedet iudicium sibi de alienis laboribus sumere.

III. Nunc antequam verba liviana emendare aggrediar, unum monendum videtur, neque id non necessarium, sive ea quae infra sunt a nobis disputanda, sive etiam sensum totius loci spectes. Nimirum praeter illa quae iam pridem animadversa sunt atque omnium consensu emendatione egent, extat in hisce verbis particula quaedam, cuius vis nunquam fortasse quaesita, certe nondum explanata ab interpretibus invenitur. Haec est particula *quoque*: quae quidnam sibi velit, age, ceteris omnibus in praesentia dilatis, accurate pervestigemus. Post pugnam ad Cannas commissam, reliqua parte anni u. c. DXXXVIII. Hannibali res in Campania partim prospere cedebant (ea scilicet de causa, quod, re Romana, ut ita dicam, concisa, abalienabantur, ut ferme fit, sociorum populorum animi), partim vero, fortuna se inclinante, minus prospere. Siquidem traduntur a scriptoribus harum rerum nonnulla tunc temporis facta, ex quibus recte casus huiusmodi fortunae conversionesque coniicias: auctore Trebio, Compsano homine, Compsa urbs sine mora absque certamine tradita est Carthaginiensibus (Livius 23,1); item Capua, auctoribus Pacuvio Calavio et Vibio Virrio, ad eos defecit (Livius 23,2 seqq.). Sed rursus, summis viribus adnitente maxime M. Claudio Marcello duce Romanorum, qui rem in Campania praetor gerebat (ob

egregiam illa tempestate exhibitam virtutem futurus brevi extraordinario iure proconsul: cf. Livium 23,10,19), Nola est primum retenta in fide (Livius 23,14), deinde felicissima industria contra Carthaginienses defensa (Livius 23,15 et 16); tum Neapolis frustra est temptata ab Hannibale (Livius 23,15,1), Nuceria, nequidquam ab hoste ad defectionem sollicitata, fame tantummodo capi potuit (Livius 23,15), postremo Acerrae eam fidem praestiterunt Romanis, ut quum sine fructu ad volontariam deditionem perlicerentur, vi demum victae ceciderint. (Livius 23,17). Quae omnia, uti supra innuebam, quum inclinationem sociorum populorum in hostes Romani imperii in Campania sub nuntium Cannensis cladis exortam apprime testantur, tum vero non minus testantur conversionem subitam animorum, quae, abalienationem illam haud claudo pede subsecuta, Campanos a Carthaginiensium dominatu aversos ad pristinam consuetudinem desideriumque veterum dominorum iterum convertit.

Nunc quo iam rem deducturus sim intelligis: quum enim haec ita se se habeant, nonne sentis particulam illam *quoque* significare fuisse in Campania civitates quasdam, quas post acceptos intra moenia Carthaginienses facti poenituerit, quaeque igitur sub nuntium appropinquantium exercituum Romanorum conatae pro virili sint parte contra alienigenas Afros res moliri? Arbitror scilicet (finge tibi animo ea omnia quae tunc acciderunt quaeque singillatim non est Livius persecutus) verba Livii huc demum recidere: in compluribus Campaniae locis ortos fuisse contra Carthaginienses motus, quibus rebus permotum et perturbatum Hannibalem coepisse magno opere vereri, ne Capuae quoque seditio fieret. Si-

quidem, quomodocumque verba Livii videantur emendanda (iam ad illud veniam) universa sententia ista sit oportet: perspecta animorum conversione inclinationeque in Romanos, nuntioque accepto motus hostiles, Romanis vires reficientibus copiisque eorum propius accedentibus, passim fieri, Hannibalem angi cura maxima coepisse de Capuae possessione, ne incolae, qui quidem Romanarum partium essent, forte coniurarent de recipiendis in urbem Romanis. Quodnam ad id consilium ceperit Hannibal, in sequentibus paragraphis explanabimus.

Declarato quid in particula illa *quoque* sententiae lateat, atque ita via nobis quodammodo ad reliqua quae sunt disputanda munita, protinus pergamus ab istis quae erant enucleanda, ad verba quae sunt emendanda. Qua in re, ratione utemur eadem qua sumus usi in explananda vi particulae illius: haec enim pensandorum emendandorumque scriptorum ars non magis indiget grammaticae disciplinae verborumque interpretationis, quam historiarum cognitionis, cum oporteat quae sunt posita in philologia quam vocant, in eruditione omnique doctrina et inter se consentiant, et coniuncta suppeditent ea quibus nos muniti in re elaboremus, quamquam magna pars hodie apud nos in veterum litterarum disciplinis adeo alia ab aliis divellunt, ut, quasi qui solum quum verterint in insulam quamdam parvam concedunt, ita nostri critici se ipsi quibusdam artibus necessariis prohibeant, ignari tamen quid consequatur; nam ne in parte quidem in qua vires suas totas exercere statuerunt, ad excellentiam quandam pervenire nedum nobile perfectionis fastigium attingere possunt! Sed ab inutilibus questibus iam temperemus atque porro pergamus.

IV. Satis magna erat sane causa, cur Hannibal, in conversione illa in Campania animorum, Capuae timeret: sed alia quoque causa statim accessit, cui obviam omnibus viribus eundum esse sagacissimus ille dux continuo perviderat; nimirum adventus alterius exercitus Romanorum. Etenim facile sane ei fortasse contigisset parvis praesidiis ubique dispositis inermes oppidanos in Campania continere, audacioribusque acerbe in documentum reliquorum castigatis coercitisque, universos in ordinem redigere. Hoc quoque facile sibi successurum fore sperare potuit Hannibal, Marcellum nimirum eiusque exercitum, exercitibus suis ubique oppositis, cum a Capua arcere, tum etiam a spe ipsa prohibere Capuae iterum potiundae, quoad nullus novus exercitus Romanus fines Campaniae ingrederetur. Sed nunc multa nova Hannibalem perturbabant. Namque primum omnium Casilini praesidium agitabat exigua manus militum Romanorum (Liv. 23,19,8 seqq.); quod praesidium, ut infirmum per se, ita erat futurum haud parva accessio virium, si se cum iusto exercitu coniunxisset. Romae praeterea, ubi primum de Cannensi clade certiores sunt facti, nulla interposita mora, omnia consilia ad reparandas Imperii vires fuerant versa; Marcellum nimirum, ab Ostia revocatum, Canusium primo et postea in Campaniam miserant (Liv. 22,57 1 seqq. Appian. *Hann.* 27), tum dictatorem crearant, qui novas copias cogeret, M. Iunium Peram (Vide quae de his copiis iam disputabimus ad Livium 23,32,1). Qui dictator, duabus legionibus urbanis scriptis, praeterea volonibus (id est servis voluntariis) aliisque omnis generis militibus coactis (Liv. 22,57,9 seqq. Cf. Appianum *Hann.* 27) cum iis ab Urbe in Campaniam profectus, castra videtur

locasse ad Casinum (Liv. 23,17,7 in loco, quem tractamus nunc, extant verba ex quibus illud necessario sequitur, haec: Hannibal, Acerris direptis atque incensis, *cum a Casino dictatorem Romanum*, etc.) Marcellus autem ad Suessulam consederat (Liv. 23,17,3). Erant igitur: dictator ad Casinum; Marcellus ad Suessulam; denique praesidium parvum nuper a nobis commemoratum Casilini. Quid censeamus nunc facturos fuisse duces Romanos, cum semper in rebus adversis strenuos, tum praesertim tali habitu animorum? Equidem dicam hoc tibi quam maxime adseveranter, etsi hoc non historici aperte tradunt, sed e Livio nunc demum nobis est eruendum.

Capua erat maxima a Roma urbs Italiae: ex quo ea in ditionem Carthaginiensium venit, nihil tantopere elaborarunt Romani, quam ut ea iterum potirentur, id quod illis paucis post annis demum successit. Capua autem media iacente inter Suessulam ubi Marcellus consederat, et Casilinum ubi exiguum illud praesidium militum Romanorum constiterat, nonne putes duces Romanos et Romanorum in Campania partem inter se de eo convenisse, ut celeriter dictator M. Iunius Casilinum iter faceret seque cum isto praesidio coniungeret, continuoque deinceps Capuam a duabus partibus hinc Marcellus, illinc Iunius Pera aggrederetur?

At sicuti Romani, quos virtus praesertim Marcelli ad spem salutis aegre primum erexerat, postea quasi ad novam lucem aspiciendam revocaverat, naviter nunc fortunam belli temptare sese parabant, ita et Hannibal contra nitebatur. Fundamentum et columen erat Capua eius in Italia virium, adeo ut deinceps fortuna eius, Capua anno u. c. DXLIII rursus a Romanis capta, statim ad occasum vergeret. Quemadmodum igitur inter duces

Romanos, convenisse arbitror ut dictator Romanus, Casino relicto, Casilinum petere properaret, ita arbitror Hannibalem constituisse Casilinum oppugnare atque capere antequam dictator eo esset progressus, scilicet ne, si dictator Casilino potiretur, Capua deinceps inter duos exercitus Romanos esset, atque ad defectionem sollicitata *a duobus exercitibus* Romanis temptaretur.

Quibus positis, venio ad locum Livii, in quo loco, si modo quae disputabam non admodum absurda sunt, plura quam adhuc critici crediderunt et supplenda sunt et emendanda. Ne plures autem circa rem ambitus faciam, sed omnia quam brevissime peragam, en quemadmodum ego locum supplendum et corrigendum puto: « Hannibal Acerris direptis atque incensis, « quum a Casino dictatorem Romanum legionesque « *eius Casilinum acciri nuntiatum esset, ne binis* « tam propinquis hostium castris Capuae quoque *ore-* « *retur tumultus*, exercitum ad Casilinum ducit. »

V. Pauca nunc addam nonnulla, quae ad verborum vim atque ad litterarum singularum scripturam pertinent lectionemque confirmare videntur hanc meam, quaeque in quinque partes secantur. Primum: in codicibus postquam cum incuria tum inscitia descriptorum syllabae verborum quae sunt *eiusca-silinum* omnes excidissent praeter postremam *num*, ex hac potuerunt librarii facere *nimis* quod est quidem in codicibus sed cum reliquis non consentit. — Deinde verbo *acciri* usus est saepissime Livius: namque ego curiose hac de re inquirens, perlectis libris primo et altero, tum nono et decimo, repperi verbum usurpatum 1, 18, 6. 1, 35, 9. 2, 6, 2. 2, 53, 1. 9, 3, 8,. 9, 14, 2. 9, 30, 7. 9, 32, 2. 9, 4, 12. 10, 18, 7. 10, 20, 15. 10, 25, 12. 10, 38, 7. 10, 42, 3. — Tertio: quae-

renti mihi in iisdem libris de usu apud Livium verbi quod est *nuntiare,* visum est passive hoc verbum apud eum ut plurimum usurpari; haec autem est causa cur Madvigio restituenti *Numidae citi nuntiassent* assentiendum esse non arbitrer. Habes enim apud Livium in quattuor libris, quos dixi, ista :

1,31,1 : « nuntiatum regi patribusque est. »
1,31,4 : « quandoque idem prodigium nuntiaretur. »
1,37,2 : « prius paene quam nuntiari posset, insignem « victoriam fecere. »
1,59,5 : « ne quis eum motum regibus nuntiaret »
2,26,1 : « nocte in urbe nuntiatum est. »
9, 4, 6 : « si nuntiaretur. »
9, 6, 5 : « quod ubi est Capua nuntiatum, » etc.
9,23,3 : « quum .... alii super alios nuntiarent, » etc.
9,32,4 : « quod postquam consuli nuntiatum est, » etc.
10,1. 10,2,9. 10,3,2 : « nuntiabatur »
10,2,9 : « haec sunt nuntiata »
10,5,4 : « super alios alii nuntiant dictatori. »
10,40,13 « quod postquam consuli nuntiatum est. »

Habes igitur ter tantummodo active hoc verbum usurpatum, et quidem bis in locutione *alii super alios* idest sine certo substantivo; hoc est semel tantummodo active et cum certo subiecto.

Quartum: ego arbitror, in describendis codicibus, *quis* quod nunc extat ortum esse ex *qinis; qinis* autem ex *binis. Bina castra* suo loco usurpata semper fuisse nemo ignorat; ea habes exempli gratia apud Liv. 6,29,8 « *binis castris* hostium .... captis ». Apud Liv. 27,25.13 « inter Venusiam Bantiamque minus trium millium passuum intervallo consules *binis castris* consederant ».

Quinto denique et postremo, ad *orerecurrunt* quod attinet, perperam Weissenbornius edidit « *oreretur*

terror, quum alii ante eum saniore iudicio *motus* praetulissent. Legenti mihi libros ab urbe condita, Livius visus est saepissime usurpasse *motus* (6,32,5. 9 27,2. 23,16,7. 29,12,5. 34,26,4. 34,27,3), nonnunquam etiam *tumultus* (Liv. 23,7,8 « veritus deinde, ne *quid* inter vim *tumultus* atque ex concitatione animorum inconsulti certaminis oreretur » etc. Liv. 23,16,11 « satis fidens . . . . *tumultum* aliquem in urbe plebem moturam »). E contrario *terror* absurde hic poneretur, neque enim agitur de terrore quem exercitus Romani Capuae imminentes urbi huic illaturi essent, sed de motu incolarum, id est illius partis civium quae Romanis favebat (cf. Livium 23,8,3 etc.), ne videlicet incolae isti, certiores facti de Rom. exercitibus appropinquantibus, ad defectionem spectassent. Remoto igitur *terror*, praeferas *motus* an *tumultus* nihil ego moror, quum in capite quod praecedit Livius usus sit et *motus* (23,16, 7) et *tumultus* (23,8,7. 23, 16 11). Ceterum quum ex *oreretur* factum sit in codicibus *orerecur*, reliqua quae manent *runt* nescio an *tumultus* potius quam *motus* requirant.

AD LIVIUM 23, 32, 1

CAPUT XI.

I. De divisione exercituum Romanorum agens, ineunte anno u. c. DXXXIX inter consules, praetores reliquosque duces de more in Senatu facta, Livius sic refert copias consulibus datas, « Consules « exercitus inter sese diviserunt. Fabio exercitus « Teani, cui M. Junius dictator praefuerat, evenit; « **Semproniorvolonesquefierent**, et sociorum viginti « quinque milia ». Liv. 23,32,1).

Q. Fabius Maximus Verrucossus III, Ti. Sempronius Gracchus, consules fuerunt anno U. c. DXXXIX.

Pro eo quod in codicibus extat *Semproniorvolonesquefierent*, recordati in exercitu illo degente Teani volones quoque milites fuisse, Madvigius et Weissenbornius, quibus recentiores plerique omnes assensi sunt, ediderunt: *Sempronio volones qui ibi erant. Ibi*, id est in exercitu Teani. Sed nimis vereor ut sincera et germana lectio haec videri possit rem paullo attentius considerantibus. Equidem concedo libentissime, si vestigiorum in codicibus extantium

tantummodo rationem habeamus, nihil obstare quominus putemus verba illa corrupta ex verbis huiusmodi *Sempronio volones qui ibi erant*, lapsu temporis atque scribarum negligentia, orta fuisse: sed in emendandis auctoribus sententia universa non minus quam verba tradita est consideranda, nimirum ratio in primis habenda est diligenter quidnam ex quaque coniectura consequatur.

Hic autem sententiam pravissimam efficiunt ista a criticis quos memoravi ita restituta, cum antecedentibus scilicet mire pugnantia. Quis autem magnis scriptoribus, sine summa necessitate, secum pugnantia sanus tribuet? etenim si cum Madvigio, Weissenbornio ceterisque fere omnibus legas apud Livium: « Consules exercitus inter sese diviserunt. Fabio exercitus Teani, cui M. Junius dictator praefuerat; evenit; *Sempronio volones qui ibi erant*, et sociorum « viginti quinque milia » pugnantia secum idcirco coniunges, quod in ea eris sententia quasi volones iidem attributi fuerint *duobus eodem tempore ducibus*, nimirum Fabio et Sempronio consulibus. Namque scimus sane ex Livio, sub M. Junio dictatore, praeter alius generis milites, etiam volones fuisse (Dictator post pugnam Cannensem profectus Roma cum duabus legionibus urbanis, cum volonibus aliisque copiis, castra videtur locassse primum ad Casinum: cf. Livium 23,19,3; denique ad Teanum); sed quid iis volonibus cum volonibus Sempronii, quum verba Livii apertissime ostendant, universum dictatoris exercitum, hoc est nullis exceptis volonibus, Fabio consuli attributum fuisse? Apertissime enim patet volones Sempronio datos, de quibus volonibus est sermo in verbis Livii, quae emendare suscepimus, diversos prorsus esse oportere istis volonibus, qui iam aliquamdiu, sci-

licet quod reliquum erat anni u. c. DXXXVIII quo Cannensis pugnata est pugna, militaverant, quique initio insequentis anni consuli Q. Fabio Maximo ducendi ductandique sunt dati. Absurde igitur, quod eruditissimum virum Madvigium, optime de latinis graecisque litteris meritum facere noluissem, creditur vulgo Livium scripsisse: « Consules exercitus « inter sese diviserunt. Fabio exercitus Teani, cui « M. Junius dictator praefuerat, evenit; *Sempronio « volones qui ibi erant.* » Adde volones Sempronii non volones veteres, sed volones nondum conscriptos, hoc est conscribendos, existimandos esse, eam ob causam quod Livius numerum eorum non concipit.

II. Ut alias saepe, ita hic quoque meliora protulerant critici illi saepe numero acutissimi, qui ante nostram hanc aetatem provenerunt, perperam illa a posterioribus deinde neglecta. Drakenborchius enim, edito Livio additoque uberrimo celeberrimoque commentario, absurda vitaverat in quae lapsi sunt non modo Weissenbornius, quod numquam sum miratus, sed ipse Madvigius; qui Drakenborchius, etiam ad codicum lectionem propius accedens, ita scripserat: *Sempronio volones qui fierent,* atque adnotaverat: « nam qui antea lecti erant, in exercitu manebant Junii dictatoris. » Quibus de causis respuerint sequentes emendationem Drakenborchii frustra quaesivi, quum neque Weissenbornius receptae a se lectionis causam referat, neque adeo Madvigius rem in perbono libro qui inscribitur *Emendationes Livianae* attingat. Atqui digna emendatio erat quae non respueretur, etsi bona magis quam iusta est dicenda, utpote quae partem quidem veri contineat, sed in qua veri alia pars desit, uti iam explicaturi sumus.

III. Ergo ad Drakenborchium nobis est rever-

tendum, profectisque ab eo cetera erunt quaerenda, quae illius viri doctrina non suppeditavit. Ac mihi saepe miraculo fuit hoc editorem Livi Drakenborchium fugisse, in verbis quae ipse restituisset *Sempronio volones qui fierent* aliquid necessario deesse. Quicumque enim Livium pervolutarunt, fieri non potest ut non animadverterint Patavinus quo modo quaque ratione exponat divisionem provinciarum et exercituum, quae ineunte anno in Senatu Romano fiebat. Namque quotiens alicui vel consuli vel proconsuli vel praetori vel propraetori exercitum datum fuisse Livius commemorat, hoc quoque addere historicus consuevit, unde exercitum illum Romani haberent, sive eae veteres sive eae novae legiones essent: hoc est si veteres essent, cuinam duci priore anno paruissent et in qua provincia militassent; si autem novae, quo modo et a quo conscribendae essent. Deest igitur in verbis: *Sempronio volones qui fierent*, ubi, aut a quo, volones isti lecti fuerint.

IV. Itaque mihi longe lateque circumspicienti quibusnam ego adminiculis ipse me ex ista difficultate expedirem, visa est litera quaedam, quam codices praebent quamque neglectam fuisse a doctoribus mirari non desino, viam mihi monstrare. Etenim extat in codicibus, uti nuper innuebam, *Sempronior-volonesque fierent*; hoc est extat *r* inter *Sempronio* et *volones*, cuius litterae non meminerunt critici, nedum eam explicaverint. Nunc vero si de eo quaeratur, sicuti nunc quaerimus, quid sibi litera ista velit, quidnam significet nisi aut *Romae* aut *Romanus* aut aliud quid id genus? adde quod tum omnia apprime convenient, si legas apud Livium ita. « Con-
« sules exercitus inter sese diviserunt. Fabio exer-
« citus Teani, cui M. Junius praefuerat, evenit;

« *Sempronio Romae volones qui fierent* ». *Romae fieri* idem valet, uti patet ex verbis Livii quae mox afferemus, conscribi a magistratibus qui Romae tunc temporis essent. Romae autem constat illa tempestate factos fuisse multos milites *volones* (hoc est *servos voluntarios*. Cf. Macrobium Sat. 1,11, 30; Paul. Diac. pag. 370), qui pro aris et focis contra Hannibalem pugnarent. Namque, post nuntium Cannensis cladis, Romani nulla interposita mora dictatore creato, novas copias scribere aggressi sunt quantascumque possent, quibus videlicet fessis Imperii rebus subvenirent. (Vide quae disputavimus in capite sup.) Rem Livius narrat 22,57,9 seq. his verbis: « Inde « dictator ex auctoritate patrum dictus M. Junius et « Ti. Sempronius magister equitum dilectu edicto « iuniores ab annis septemdecim et quosdam prae« textatos scribunt. Quattuor ex his legiones et mille « equites effecti. Item ad socios Latinumque nomen « ad milites ex formula accipiendos mittunt. Arma « tela parari iubent, et vetera spolia hostium de« trahunt templis porticibusque. Et aliam formam « novi dilectus inopia liberorum capitum ac neces« sitas dedit: octo milia iuvenum validorum ex ser« vitiis prius sciscitantes singulos, vellentne militare, « empta publice armaverunt. » Eandem rem Livius narrat rursus 23,14,2 seqq., (alium auctorem secutus, ut ego arbitror) his verbis: « . . . dictator M. Junius « Pera . . . . praeter duas urbanas legiones, « quae principio anni a consulibus conscriptae fue« rant, et servorum dilectum cohortesque ex agro « Piceno et Gallia conlectas, ad ultimum prope des« peratae rei publicae auxilium, cum honesta utilibus « cedunt, descendit, edixitque, qui capitalem fraudem « ausi quique pecuniae iudicati in vinculis essent,

« qui eorum apud se milites fierent, eos noxa pecu-
« niaque sese exsolvi iussurum. Ea sex milia ho-
« minum Gallicis spoliis, quae triumpho C. Flamini
« tralata erant, armavit ; itaque cum viginti quinque
« milibus armatorum ab urbe proficiscitur ». Cf. praeterea Appianum *Hannib.* 27. In loco Livi allato cf. verba: *apud se* milites *fierent* cum verbis quae ego proposui in mea emendatione.

Locos Livii idcirco integros adscripsi, quo melius persuaderem, Romanos, post pugnam ad Cannas, *Romae* magnam vim militum conscripsisse, ipsis servis non exemptis. Quum autem a pugna inde Cannensi usque ad initium anni u. c. DXXXIX, hoc est a die qui fuit ante diem quartum Nonas Sextiles (Macrob. Satura 1,16) anni u. c. DXXXVIII usque ad Idus Martias non ita multi menses sint, consentaneum est Romanos per omne id tempus totos in eo fuisse ut milites cuiusque generis armarent, cum novis legionibus efficiendis quibus hostes inflatos victoria continerent, tum veteribus legionibus supplendis, id quod initio cuiusque anni fiebat. Lectio igitur militum, nunquam fortasse per id tempus interrupta est, atque adeo usque ad initium anni DXXXIX continuata. Vel si maxime interrupta fuit, rursusque post Idus Martias milites legi sunt coepti, an censes Romanis, qui ante aliquot menses propter inopiam liberorum capitum ad servitia et pecuniae iudicatos confugerant, nunc ingenuos milites praesto fuisse? ac non potius eos iterum ad ultimum prope desperatae rei auxilium, quod Livius vocat, descendisse? Quid? quod ista, quae vel coniectura assequi liceret, a Livio conceptissimis verbis traduntur; causa autem ferme non est, cur quae cum ratio docet tum historicus narrat

ullam dubitationem apud nos relinquant. Namque ea quae in hoc genere, hoc est in militibus conscribendis, Romani in annum u. c· DXXXIX paraverunt, habes apud Livium 23,25,5 seqq. 23,31,3 seqq.; 23,32,1-20. Efficitur ex istis Livii locis, quos mox adscribam, nullos novos milites initio huius anni decretos fuisse praeter volones hos, de quibus agimus, et viginti milia sociorum quae darentur eidem consuli Sempronio cui et volones. En autem locos Livii:

23,25,5 segg. « Tum Marcellus suarum copiarum « summam exposuit. Quid in Apulia cum C. Terentio « consule esset, a peritis quaesitum est. Nec, unde « consulares exercitus satis firmi ad tantum bellum « efficerentur, inibatur ratio. Itaque Galliam, quam- « quam stimulabat iusta ira, omitti eo anno placuit. « Exercitus dictatoris consuli decretus est. De exer- « citu Marcelli, qui eorum ex fuga Cannensi essent, « in Siciliam eos traduci atque ibi militare, donec « (in) Italia bellum esset, placuit. Eodem ex Iuni « dictatoris legionibus reici militem minimi quemque « roboris, nullo praestituto militiae tempore, nisi quod « stipendiorum legitimorum esset. Duae legiones ur- « banae alteri consuli, qui in locum L. Postumi suffec- « tus esset, decretae sunt, eumque, cum primum salvis « auspiciis posset, creari placuit. Legiones praeterea « duas primo quoque tempore ex Sicilia acciri atque « inde consulem, cui legiones urbanae evenissent, « militum sumere quantum opus esset. C. Terentio « consuli propagari in annum imperium, neque de « eo exercitu, quem ad praesidium Apuliae haberet, « quicquam minui. »

23,31,3 seqq. « De exercitibus ita decreverunt, ut « duabus legionibus urbanis Ti. Sempronius consul « Cales ad conveniendum diem ediceret; inde eae

« legiones in castra Claudiana supra Suessulam de- « ducerentur. Quae ibi legiones essent (erant autem « Cannensis maxime exercitus), eas App. Claudius « Pulcher praetor in Siciliam traiceret, quaeque in « Sicilia esset, Romam deportarentur. Ad exerci- « tum, cui ad conveniendum Cales edicta dies erat, « M. Claudius Marcellus missus, isque iussus in castra « Claudiana deducere urbanas legiones. »

23,32,1 seqq. « Consules exercitus inter sese « diviserunt. Fabio exercitus Teani, cui M. Iunius « dictator praefuerat, evenit; *Sempronio rvolonesque- « fierent* et sociorum viginti quinque milia; M. Va- « lerio praetori legiones, quae ex Sicilia redissent, « decretae; M. Claudius pro consule ad eum exer- « citum, qui supra Suessulam Nolae praesideret, « missus . . . . Et Romae consules tran- « sactis rebus, quae in urbe agendae erant, move- « bant iam sese ad bellum. Ti. Sempronius militibus « Sinuessam diem ad conveniendum edixit . . . . « Valerium praetorem in Apuliam ire placuit ad exer- « citum a Terentio accipiendum; cum ex Sicilia « legiones venissent, iis potissimum uti ad regionis « eius praesidium, Terentianum (Tarentum) mitti « cum aliquo legatorum. Et viginti quinque naves « datae, quibus oram maritimam inter Brundisium « ac Tarentum tutari posset. Par navium numerus « Q. Fulvio praetori urbano decretus ad suburbana « litora tutanda; C. Terentio proconsuli negotium « datum ut in Piceno agro conquisitionem militum « haberet locisque his praesidio esset. Et T. otacilius « Crassus . . . . . . in Siciliam cum imperio, qui classi « prae esset, missus. »

V. Ergo erat Romae eadem quae paulo antea ingenuorum inopia; adeo ut Romani dederint C. Te-

rentio proconsuli negotium conquirendorum in Piceno agro militum. Volones autem illi, de quibus loquimur, nusquam nisi Romae conscribi potuerunt; quod si scriptores historiarum hoc memorarunt, ut certe memorarunt, deprehendas necesse est apud Livium in litera *r* vestigium verbi quod fuit *Romae*. Unum addo quod meam coniecturam optime confirmat. Namque haec omnia diu commentus eram, quum in scriptiunculam incidi quam Luchsius nuper scripsit ediditque in *Herma* Berolinensi (Vol. XIV pag. 142 seqq.). Qui Luchsius, quod legitur apud Livium 23,32,9, hoc est paullo post verba a nobis tractata: « ad hoc fessos iam animos Sardorum « diuturnitate *imperi et proximo* iis anno acer« be atque avare imperitatum » quum in optimo omnium codice, in Puteano seu Parisino 5730 saeculi VII, quem ipse denuo contulit, invenisset *imperiretproximo*, verissime arbitratus est propter literam *r*, quae extat post *imperi*, quaeque adhuc neglecta fuerat, legi debere: « ad hoc fessos iam « animos Sardorum diuturnitate *Imperi Romani et* « *proximo* iis anno acerbe atque avare imperita« tum: » Sic enim et apud Livium 23,32,9 sententia fit plenior et melior, sicuti locus noster apud Livium 23,32,1, ubi adhuc necessario aliquid defuit, ad pristinam certe integritatem sanitatemque, emendatione mea recepta, facile revocatur.

Noli autem mirari, ut hoc postremum moneam, Livium ubi volones illi conscribendi essent tradidisse quidem, sed non dixisse a quo magistratu essent conscribendi. Namque ea saepe necessario subaudiuntur, quaecumque in Romanorum posita more certa ratione constantissime quum fierent, nemo Romanorum ignorabat requirebatque. Quare, quum ius militum scri-

bendorum haberent summi rei publicae magistratus imperio ornati, id est consules ante alios omnes magistratus (cf. Livium 22,38,1 et passim), hinc sequitur, ubi historici nihil admonent, consules ipsos pro suo summo id iure egisse, praesertim vero si milites qui erant scribendi sub ipsis consulibus militaturi forent. Intelliges ergo nostros volones a consulibus Romae lectos fuisse, existimabisque, quum legas in loco Livii quem ultimum attuli (23,32,13): « Et Romae consules *transactis rebus, quae in urbe* « *agendae erant*, movebant iam sese « ad bellum » consules, de more, post auspicia, post senatum habitum, post *exercitus scriptos*, post Latinas indictas, post prodigia procurata, post legatos exterarum gentium in Senatu auditos, aliaque plura id genus, auspicato profectos in Capitolium ad vota nuncupanda, paludatos inde cum lictoribus in suam quisque provinciam se contulisse: quibus de rebus plenius alibi disserui. (1)

---

(1) Cf. Cap. II. meae opellae cui titulus: « Dalla battaglia « della Trebbia a quella del Trasimeno. Questioni di storia « Romana. »

ALTRI SCRITTI

DEL PROF. DOTT. **ALESSANDRO TARTARA**

Osservazioni di Storia Romana all'anno 537/217 sulle legioni, sugl'imperî e sull'istituzione delle provincie consolari. — *Dagli Atti della Reale Accademia dei Lincei* 1880.

Tentativo di critica sui luoghi Liviani contenenti le disposizioni relative alle provincie e agli eserciti della Repubblica Romana. — *Dagli Atti della Reale Accademia dei Lincei* 1881.

Dalla Battaglia della Trebbia a quella del Trasimeno. Questione di Storia Romana. — *Estratto dalla « Rivista di Filologia e d'istruzione Classica » anno IX e X,* 1881-1882.